Gratiolae officinalis Linn. plantae indigenae ex ordine *Scrofularinearum*, in pratis paludosis crescentis herba florida recens et siccata, sistit caules pedales tetragonos, geniculatos, glabros, folia opposita, sessilia, lanceolata, basi integerrima, versus apicem serrata, laete viridia, glabra, flores axillares solitarios, pedunculatos, albidos aut pallide rubros.

Odor fere nullus, sapor amarissimus, nauseosus.

396. Herba Hyssopi.

Hyssopi officinalis Linn. plantae *Labiatae*, in Europa australi indigenae et inter hortenses passim cultae herba foliis oppositis, lineari-lanceolatis, integerrimis, cum floribus terminalibus verticillato-spicatis, secundis, coeruleis, rubellis v. albidis legenda et siccanda.

397. Herba Jaceae.

Herba Violae tricoloris.

Violae tricoloris Linn. plantae *Violaceae*, in arvis ubique obviae herba florida, foliis ovatis vel ovato-oblongis, petiolatis, dentatis, stipulis

lyrato-pinnatifidis, floribus tricoloribus e violaceo aut caeruleo, albo et flave variegatis.

Herba florida absque radice caute siccetur.

†398. Herba Lactucae virosae.

Lactucae virosae Linn. plantae *Compositae* in ruderatis pinguibus et hortis rarius obviae, herba recens, ante capitulorum anthesim collecta, distinguitur foliis horizontalibus, carina aculeatis, ovato-oblongis, obtusis, spinuloso-denticulatis, basi cordatis v. sagittatis, integris vel sinuatis.

399. Herba Linariae.

Linariae vulgaris Mill. *(Antirrhini Linariae* Linn.*)* plantae ex ordine *Scrofularinearum*, ubique in arvis et campis obviae, herba florida, foetidiuscula, caule pedali, foliis sparsis, sessilibus, anguste lineari-lanceolatis acutis, integerrimis, trinerviis, glabris, floribus personatis, calcaratis, flavis, in racemos terminales densos dispositis.

Nonnisi recens adhibeatur.

†400. Herba Lobeliae inflatae.

Lobeliae inflatae Linn. plantae biennis sui ordinis in America boreali spontaneae, apud nos in hortis cultae, herba florida, caule pedali, inferne simplici, superne ramuloso, glabro, foliis alternis, sessilibus, oblongo-lanceolatis, acutis, serratis, floribus racemosis, parvis, calyce inflato, corolla subbilabiata, coerulea. — Sapor initio debilis, deinde peracris.

401. Herba Majoranae.

Origani Majoranae Linn. plantae *Labiatae*, in Europa australi indigenae, passim in hortis cultae herba cum summitatibus florentibus, foliis oppositis, parvis, ellipticis, integerrimis, utrinque cano-tomentosis, floribus in spicas terminales ternas digestis, bracteis imbricatis, sulcatis, suffultis.

Odor et sapor peculiariter aromaticus.

402. **Herba Marrubii albi.**

Marrubii vulgaris Linn. plantae *Labiatae*, in arenosis siccis obviae summitates, foliis oppositis, petiolatis, subrotundo-ovatis, obtusis, crenatis, rugosis, cinereo-viridibus, utrinque villosis, subtus imprimis reticulatis, cum floribus terminalibus, nondum explicatis colligendae. Odor peculiaris, balsamicus. Sapor aromatico-amarus.

403. **Herba Meliloti florida.**

Meliloti officinalis Desrouss. *(Trifolii Meliloti* Linn.*)* plantae *Papilionaceae*, in pratis et pascuis passim crescentis, herba cum floribus. Folia alterna, pinnatim trifoliata, foliolis oblongo-lanceolatis, obtusis, argute serratis. Flores parvi, flavi, in spicas elongatas dispositi. Odor recentis fere nullus, siccatae gravis, aromaticus, sapor amariusculus, subsalsus.

404. **Herba Millefolii florida.**

Achilleae Millefolii Linn. plantae *Compositae* in agris arvisque vulgaris, herba florida, foliis alternis bipinnatifidis, laciniis brevissimis, filiformibus, setula terminatis, hirtis, capitulis parvis, albis, in corymbum terminalem, densum, fastigiatum dispositis. — Odor aromaticus, sapor subsalsus, amariusculus, aliquantum adstringens.

Planta nonnisi capitulis bene explicatis, in collibus apricis colligenda.

405. **Herba Origani.**

Origani vulgaris Linn. plantae *Labiatae*, ad vias et sepes vulgaris, herba cum summitatibus florentibus, foliis oppositis, petiolatis, ovatis, acutis vel obtusiusculis, subintegerrimis, utrinque pubescenti-scabriusculis, florum spicis densis, bracteatis, in corymbum terminalem dispositis. Odor fragrans, sapor aromaticus, subamaricans.

406. **Herba Polygalae amarae.**

Polygalae amarae Linn. plantae nostratis, ordinis *Polygalearum*, herba florida cum radice tenui, filiformi, foliis radicalibus caespitosis,

subrotundis vel obovatis, caulinis minoribus oblongis vel lanceolatis, floribus racemosis, coeruleis.

Odor nullus, sapor admodum amarus.

†407. Herba Pulegii.

Menthae Pulegii Linn. plantae *Labiatae* perennis, in humidis Europae mediae occurrentis herba florida, caule ramoso prostrato radicante, demum adscendente, foliis ovatis ovalibusve obtusis, integerrimis vel supra medium remote serrulatis, pellucide punctatis, glabriusculis, florum verticillis numerosis remotis, subsessilibus, calycibus hispidis bilabiatis, fauce villosis, corollis rubro-violaceis pubescentibus parvulis.

Herba trita odorem peculiarem aromaticum spirat, masticata cum amaritie acriter sapit.

†408. Herba Pulsatillae.

Anemones pratensis Linn. (*Pulsatillae pratensis* Mill.) plantae *Ranunculaceae* in collibus aridis pratisque siccissimis Europae mediae crescentis herba florida, caule erecto, unifloro, foliis radicalibus bi-tripinnatipartitis, vilosis, cum laciniis linearibus integerrimis acuminatis, involucro a flore remoto palmati-multipartito, flore sub anthesi cernuo campanulato, atro-violaceo, infra apicem subconstricto, foliolis calycinis adpressis, apice recurvis.

409. Herba Rutae.

Ruta graveolens Linn. planta sui ordinis in Europa australi indigena, frequenter in hortis sata, caule superne herbaceo, foliis petiolatis bipinnatis vel decompositis, glauco-viridibus, foliolis integris vel incisis oblongis vel ovalibus obtusis, basi angustatis, terminali latiore obovato, omnibus crassiusculis, subtus glanduloso-punctatis, floribus corymbosis, luteis tetrapetalis. Odor peculiaris gravis, aromaticus, sapor aromatico-acris.

410. Herba Saponariae.

Saponariae officinalis Linn. plantae campestris, ex ordine *Caryophyllacearum* herba caule erecto, tereti, superne ramoso, pubescenti-

scabriusculo, foliis ad genicula oppositis, breviter petiolatis, ovato-lanceolatis, acutis, glabris trinerviis, paree venosis, margine seabriuseulis.

Ante florum anthesim earpenda et sieca servanda.

411. Herba Satureiae.

Satureia hortensis Linn. herba e familia *Labiatarum*, Europae australis eives, in hortis nostris erebro eulta, odore ae sapore gravi, aromatico, a basi ramosa, foliis oppositis, lineari-laneeolatis, aeutis, integerrimis, crassiuseulis, glabris v. basi ciliatis, aveniis, utrinque glanduloso-punctatis; floribus in eymis paucifloris axillaribus, pallide roseis vel albis.

Herba, tum floret, legenda.

412. Herba Scordii.

Teucrium Scordium Linn. herba *Labiata* in pratis et fossis humidis totius paene Europae nec tamen ubique vulgaris; eaule herbaceo ereeto vel aseendente, ramoso villoso; foliis oppositis, sessilibus, oblongo-laneeolatis, obtusis, grosse serratis, pubescentibus, triste viridibus, inferioribus basi rotundatis, quandoque purpuraseentibus, superioribus minoribus, basi angustatis et versus apicem tantum serratis, floribus pedieellatis, 1—4 axillaribus, pallide purpureis. Herbae recentis odor aromaticus alliaceus, sapor primum subacerbo-aromatieus, tum intensive amarus.

Legantur summitates, caute siccandae et loco sieco servandae.

413. Herba Serpylli florida.

Thymi Serpylli Linn. plantae *Labiatae*, in loeis sieeis aprieis vulgaris, herba eum summitatibus florentibus, foliis oppositis, sessilibus, ovatis, integerrimis, supra laete virentibus, subtus pallidioribus, punctatis, floribus terminalibus vertieillato-capitatis, rubellis. Odor fragrans, sapor aromaticus, subamaricans.

414. Herba Spilanthi.

Spilanthi oleracei Linn. plantae *Compositae* in America australi et India orientali sponte crescentis, apud nos in hortis cultae herba florida, foliis cordato-ovatis, crenato-serratis, scabriusculis, viridibus ac luride purpurascentibus, capitulis axillaribus solitariis, longe pedunculatis, subglobosis, multifloris, primum flavis, demum purpureo-fuscis.

Herba masticata acerrima, urens, syallagoga.

415. Herba Tanaceti florida.

Tanaceti vulgaris Linn. plantae *Compositae* vulgaris, herba florida, foliis bipinnato-partitis, pinnis oblongo-lanceolatis, inciso-serratis vel pinnatifidis, saturate viridibus, glabris vel parce pilosis, punctatis, capitulis terminalibus, corymbosis, discoideis, aureis. Odor gravis, aromaticus, sapor aromatico-amarus.

416. Herba Valerianae celticae.

Valeriana celtica Linn. herbula ex ordine proprio, summas Germaniae et Helvetiae alpes inhabitans, una cum rhizomate aestate effossa in officinas adfertur. Rhizoma obliquum, fibris numerosis, foliorumque emortuorum residuis squamaeformibus ferrugineis obsitum, caulis 1—4 pollices adscendens, glaber; folia radicalia $^1/_2$—1 poll. longa cuneato-oblonga, integerrima, nervosa, supra saturate viridia, nitida, subtus pallidiora; caulina opposita, pauca, lineari-oblonga; flores spicato-racemosi, sordide lutescentes, extus purpura suffusi.

Rhizoma gaudet odore admodum penetrabili, aromatico, sapore aromatico-amaro.

417. Hirudines.

Animalis *Annulati Apodi* ad sanguinem sugendum apti duplex species, quarum alterutra in officinis prostet.

Sanguisuga medicinalis Savign. supra olivacea, lineis longitudinalibus sex ferrugineis, lateralibus nigro punctatis; subtus cinerea maculis margineque nigris.

Sanguisuga officinalis Savign. supra medio olivacea, linea utrinque lateribusque nigro variegatis seriatim maculatis ferrugineis; subtus cinerea, immaculata, vitta utrinque laterali nigra.

Haemopis sanguisorba Savign. (Hirudo sanguisuga Linn.) ad sugendum inepta distinguitur dorso irregulariter punctato, haud lineato.

418. Hordeum crudum.

Hordei vulgaris Linn. aliarumque varietatum, *Graminearum*, cultarum fructus notissimi.

419. Hordeum perlatum.

Hordeum ope molae excorticatum, notissimi inter cibaria usus, ad decoctum Hordei solum adhibeatur.

†420. Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.

Mercurius praecipitatus albus. Hydrargyrum ammoniato-muriaticum. Hydrargyrum amidato-bichloratum.

℞. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *uncias quatuor,*
solve in
Aquae destillatae *libris septem.*
Solutioni filtratae instilla
Ammoniae purae liquidae *s. q.*
quamdiu praecipitatum gignitur.

Praecipitatum cito in linteum collectum fac eguttare et lava cum aquae destillatae frigidae parva quantitate, exprime et loco obscuro in temperatura ordinaria exsicca.

Sit pulvis albissimus, in acido hydrochlorico penitus solubilis, cum Kali caustico soluto flavescens et Ammonium exhalans, in igne penitus avolans.

†421. Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Mercurius sublimatus corrosivus. Hydrargyrum muriaticum corrosivum. Hydrargyrum perchloratum. Murias Hydrargyri corrosivus.

Praeparatum officinarum chemicarum. Massam exhibet albam, ponderosam, ex parte pellucidam, textura fibrosa, crystallina, inodoram, saporis admodum metallici, acris, in octodecim partibus aquae frigidae, et in duabus ad tribus bullientis, in spiritus vini rectificatissimi partibus tribus, et in aetheris quatuor solubilem, calore omnino volatilem.

†422. Hydrargyrum bijodatum rubrum.

Mercurius jodatus ruber. Hydrargyrum perjodatum. Deutojoduretum Hydrargyri.

℞. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *unciam unam.*
Solve in
Aquae destillatae calidae *unciis sedecim.*
Seorsim solve
Kalii jodati *drachmas decem*
in
Aquae destillatae *unciis quatuor.*

Utramque solutionem confunde et agitando misce.

Praecipitatum aqua destillata bene ablutum in temperatura ordinaria sicca et in pulverem tritum serva.

Sit pulvis laete scarlatinus, in aqua non solubilis, in spiritu vini fervido, in Kalio jodato et Hydrargyro bichlorato et acido hydrochlorico solubilis, facile liquescens, igne avolans et in crystallos coiens flavas, quae postea rubrum colorem iterum induunt.

†423. Hydrargyrum chloratum mite.

Calomel. Hydrargyrum muriaticum mite. Chloretum Hydrargyri. Protochloretum Hydrargyri. Mercurius dulcis. Murias Hydrargyri mitis. Panacaea mercurialis. Aquila alba. Manna metallorum. Draco mitigatus.

Praeparatum officinarum chemicarum.

In mortario vitreo in pulverem subtilissimum redactum optime elue aqua destillata fervida, deinde siccatum in loco obscuro serva.

Sit pulvis subtilissimus, impalpabilis, flavide albus, ponderosus, in aqua, spiritu vini et aethere insolubilis, in igne penitus volatilis, cum

Ammonia pura liquida nigrescat. Sit ab Hydrargyro bichlorato corrosivo plane liber.

†424. Hydrargyrum jodatum flavum.

Hydrargyrum subjodatum. Mercurius jodatus flavus. Protojoduretum Hydrargyri.

℞. **Hydrargyri rectificati** *unciam unam,*
Jodi *drachmas quinque.*

Spiritu vini humectata tere in mortario vitreo, donec globuli metallici penitus disparuerint, curans ut massa triturando semper sit humida. Exsicca loco tepido, et serva in vase clauso luci impervio.

Sit pulvis e virescenti flavus, lucis aditu decomponendus, in aqua et spiritu vini non solubilis, in igne penitus avolans.

†425. Hydrargyrum oxydatum rubrum.

Mercurius praecipitatus ruber. Oxydum Hydrargyri.

Praeparatum officinarum chemicarum. In pulverem subtilissimum redactum aqua destillata fervida ablue, et siccatum loco obscuro caute serva.

Sit pulvis luteo-ruber, subtilissimus, in tubo vitreo calefactus absque vaporibus nitrosis volatilis, in acido nitrico solubilis.

Ne sit pulveribus alienis rubris inquinatus.

†426. Hydrargyrum oxydulatum nigrum Hahnemanni.

Mercurius solubilis Hahnemanni. Mercurius praecipitatus niger Hahnemanni. Oxydulum Hydrargyri nitrico-ammoniacale.

℞. **Hydrargyri rectificati** *uncias duas,*
affunde in vase vitreo:
Acidi nitrici diluti puri *uncias quatuor,*
sepone in locum frigidum, quamdiu crystalli nascuntur, et donec vapores gas nitrosi evolvi desierint.

Crystallorum pulveratarum *uncias duas,*
solve in
Aquae destillatae *unciis quinquaginta,*
Acidi nitrici diluti puri *granis centum.*
Solutio filtrata praecipitetur cum
Ammoniae purae liquidae *scrupulis tredecim,*
ope tubuli vitrei ad fundum solutionis conductis. Liquido statim a sedimento nigro defuso, illud cum aqua destillata calida 30°C. ablue, in filtro collige, egutta, per chartam bibulam in temperatura ordinaria exsicca, et in vas clausum loco obscuro sepone.

Sit pulvis ater, velutinus, inodorus, in igne volatilis, in acido acetico concentrato fervido praeter pauxillum pulveris grisei solubilis, et cum Kali caustico soluto commixtus, leni imprimis calore, Ammonium exhalet.

427. Hydrargyrum rectificatum.
Mercurius vivus rectificatus.

Metallum venale in temperatura ordinaria fluidum, mobilissimum, chartae non adhaerens, coloris argentei, splendidissimum, aucto calore penitus avolans.

Omne Hydrargyrum empticium ante usum pharmaceuticum inquiratur; tenax vel alienis metallis inquinatum jam in mercando rejiciatur.

†428. Hydrargyrum stibiato-sulfuratum.
Aethiops antimonialis. Sulfuretum Hydrargyri stibiatum.

℞. **Stibii sulfurati nigri**
Hydrargyri sulfurati nigri *āā uncias duas.*
Commisce et per linteum trajice.

Sit pulvis subtilissimus, e griseo niger, inodorus, in quo etiam per lentem globuli Hydrargyri non appareant, igne ex parte volatilis.

†429. Hydrargyrum sulfuratum nigrum.
Aethiops mineralis. Sulfuretum Hydrargyri nigrum.

℞. **Hydrargyri rectificati**
Sulfuris sublimati loti *āā uncias duas.*

Tere in mortario vitreo, aqua interdum conspergendo, donec globuli metallici omnes evanuerint.

Sit pulvis subtilis, ater, insipidus, igne penitus volatilis, in Kali caustico soluto solubilis.

430. Hydrargyrum sulfuratum rubrum factitium.

Cinnabaris factitia.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit pulvis subtilissimus, laete ruber, inodorus, insipidus, igne volatilis, in acido nitrico insolubilis.

431. Hydromel infantum.

℞. **Infusi laxativi**	*uncias tres,*
Syrupi mannati	*unciam unam.*

Misce.

432. Ichthyocolla.

Colla piscium.

Tunica interior vesicae natatoriae *Accipenserum* piscium *Ganoideorum*, maceratione a tunica exteriore separata, et preli ope compressa, exhibet annulos lyriformes vel lamellas tenues, albidas, diaphanas, tenacissimas, inodoras et insipidas, in aqua fervida et spiritu vini ex toto solubilis, solutione admodum glutinante, concentrata et refrigerata in gelatinam spissam abeunte.

433. Indicum.

Pigmentum e *Indigofera tinctoria* Linn. aliisve speciebus hujus generis, plantarum *Papilionacearum* paratum, occurrit, in frustulis irregularibus, diversae magnitudinis, aqua levioribus, compactis, friabilibus, obscure caeruleis, ungue si fricantur nitorem cupreum exhibentibus.

Indicum in acido sulfurico concentrato solvatur solutione nigro-azurea, igne aperto combustum majorem copiam substantiarum incombustibilium ne relinquat.

434. **Infusum laxativum.**

Aqua laxativa Viennensis. Infusum Sennae compositum. Potio laxans Viennensis.

℞. **Foliorum Sennae alexandrinae** *drachmas sex,*
Aquae fontanae fervidae *uncias sex,*
infunde per quadrantem horae.
In colatura expressa solve
Mannae electae *unciam unam,*
et clareficatam exhibe.

†435. **Jodum.**

Sistit lamellas squamosas, crystallinas, splendentes, nigro-griseas, molles, Graphiti admodum similis, odoris peculiaris, gravis, fere Chlori, saporis acerbi, irritantis.

Cutem colore fusco, mox evanescente inficit, calore vapores violaceos spargit, in aqua frigida vix, in spiritu vini facile, liquorem saturate rubro-fuscum reddens, solvitur. Amylum minima quantitate colore coeruleo tingit.

Ne sit inquinatum Stibio, Graphite, Schisto, carbonibus, et his similibus. In mercando cave, ne Jodum ad augendum pondus aqua irroratum emas.

436. **Kali aceticum solutum.**

Liquor terrae foliatae Tartari. Acetas Lixivae solutus.

℞. **Kali carbonici puri** *libram unam,*
Acidi acetici concentrati *q. s.*
ad perfectam neutralisationem.

Liquor leni igne evaporetur ad pond. specif. 1,200.

Sit liquor limpidus, decolor, perfecte neuter, saporis salsi, dulciusculi, pungentis, ab inquinamentis alienis liber.

†437. **Kali bichromicum crudum.**

Kali chromicum rubrum. Bichromas kalicus.

Sal in officinis chemicis paratus, occurrit in crystallis magnis quadrangularibus, flavo-rubris, in aquae frigidae partibus decem solubilibus, solutione aurantiaca, acida, corrosiva.

438. **Kali carbonicum crudum.**
Potassa. Cineres clavellati calcinati. Carbonas Lixivae crudus.

In propriis officinis paratum, sistit substantiam salinam amorpham, albidam, in aëre facile deliquescentem, cum acidis effervescentem, in aqua maxima ex parte et facile, minime autem in spiritu vini solubilem.

Substantiis heterogeneis nimis inquinatum rejice.

439. **Kali carbonicum purum.**
Kali carbonicum e Tartaro. Carbonas Lixivae purus. Alcali vegetabile mite depuratum. Sal Tartari.

℞. **Kali tartarici acidi depurati** *q. v.*

uratur in crucibulo ferreo, donec sine flamma et fumo candeat. Massa residua saepius

Aqua destillata

elixivetur, et liquor filtratus decolor in vase ferreo, optime mundato, vel argenteo sub continua agitatione ad siccum evaporetur, dein massa residua adhuc calens in pulverem redigatur, atque in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis grossus, albus, siccus, inodorus, saporis fortis alcalini, in aqua facillime ex toto solubilis.

Ne sit acido sulfurico, silicico, alumina aut metallis inquinatum, nec contineat nisi minimam Chlori et Calcariae quantitatem.

440. **Kali carbonicum purum solutum.**
Liquor salis Tartari. Oleum Tartari per deliquium.

℞. **Kali carbonici puri** *libram unam,*
Aquae destillatae *libras duas,*

solve, filtra et serva.

Sit gravitatis specificae 1,330.

† 441. **Kali causticum fusum.**
Lapis causticus Chirurgorum. Kali hydricum fusum. Lixiva fusa.

℞. **Kali carbonici crudi** *libram unam,*

solve in lebete ferreo in

Aquae fontanae fervidae *libris decem,*

sub continua agitatione successive adde:

Calcariae causticae

cum aqua in pultem conversae *libram unam.*

Ebulliat spathula ferrea agitata per quadrantem horae, vel donec portio liquoris filtrati cum acido hydrochlorico jam non effervescit.

Miscelam tunc caute infunde in lagenam vitream, antea calefactam, quae bene obturata seponatur, donec liquor limpidus sedimentum dimiserit, quem deinde ope siphonis vitrei, tubo aspiratorio instructi, in sartaginem ferream perductum ad justam spissitudinem evapora, et iterum in lagena subsistendo depura, deinde in sartagine argentea evapora, donec olei instar leniter fluat, et gutta in metallum frigidum demissa perfecte induréscat.

Tum effunde in modulum ferreum calefactum, et bacillos refrigeratione obtentos statim in vas bene obturandum repone.

Sit album, albo-cinereum v. parum flavescens, in aquae frigidae parte dimidia facile solubile, ab acido carbonico fere liberum, nec ferro oxydato, nec terris v. salibus heterogeneis nimis inquinatum, a nitro plane liberum.

442. Kali chloricum.

Kali muriaticum oxygenatum. Kali oxymuriaticum. Chloras kalicus seu Lixivae.

Sal in officinis chemicis paratum, prostat in lamellis crystallinis albis, splendentibus.

Solvatur in aquae frigidae partibus sedecim, in fervidae duabus. Cum combustibilibus tritum, calefactum vel percussum detonat.

443. Kali ferrato-tartaricum.

Globuli martiales. Tartarus martiatus. Tartras Lixivae et Ferri.

℞. **Ferri limati** *unciam unam,*

Kali tartarici acidi depurati pulverati *uncias quinque.*

Misce in sartagine ferrea cum

Aquae fontanae *s. q.*

ut fiat massa pultiformis.

Digere saepius agitando et aquam evaporatam rursus affundendo, donec ferrum, quantum fieri potest, solutum fuerit, et massa pultem praebeat aequabilem, tenacem, e viridi nigrescentem, et in aqua fervida pro maxima sui parte solubilem.

Formentur globuli ponderis *unciae unius,*
qui leni calore exsiccati in vase clauso serventur.

Sint nigri, nitentes, fractura cereo-nitente, saporis ferrosi.

Cum aquae bullientis partibus octo mixturam viridi-nigrescentem praebeant, residuo parvo relicto.

444. Kali natronato-tartaricum.

Tartarus natronatus. Tartras Lixivae et Sodae. Sal polychrestum Seignetti. Sal Seignetti.

℞. **Natri carbonici crystallisati** *libram unam,*
solve in:
Aquae fontanae fervidae *libris octo.*

Solutioni calefactae adde successive inter continuam agitationem:
Kali tartarici acidi depur. pulv. *quantum sufficit.*
ad saturationem, ut liquor tamen aliquid sit alcalinus.

Liquor per noctem ad sedimentum deponendum seponatur, deinde filtratus in crystallos redigatur.

Crystalli collectae iterata solutione in
Aquae destillatae frigidae *partibus tribus,*
filtratione et crystallisatione depurentur, deinde ablutae et siccatae serventur.

Crystalli prismaticae sint decolores, pellucidae, in aquae duplo pondere solubiles, saporis amaricantis, salsi, ab inquinamentis metallicis et calcariae tartaricae immunes.

445. Kali nitricum depuratum.

Nitrum depuratum. Nitras Lixivae depuratus.

Kali nitricum in officinis nitrariis paratum semper plus minus vario modo, imprimis Natrio chlorato, Kalio chlorato vel Kali sulfurico inquinatum ante usum pharmaceuticum nova crystallisatione depurgetur.

Sistat crystallos prismaticas, albidas, saporis salsi, subamari, frigoris sensum in ore excitantis. Solvatur in aquae frigidae partibus quatuor, in aquae fervidae parte dimidia, et prunis candentibus injectum deflagret.

Nil aliud nisi Chlori vestigia contineat.

446. Kali nitricum fusum.

Nitrum tabulatum. Nitras Lixivae fusus. Sal Prunellae.

℞. **Kali nitrici depurati** *q. v.*

Liquefac in sartagine ferrea, et massam liquidam guttatim effunde in laminam ferream v. marmoream, ut fiant rotulae.

† 447. Kali stibiato-tartaricum.

Tartarus emeticus. Tartarus stibiatus. Tartras Lixivae stibiatus. Tartras Lixivae et Antimonii.

℞. **Stibii oxydati** *uncias quatuor,*
Kali tartarici acidi depurati *uncias quinque,*
Aquae destillatae *libram unam.*

Digere in vase porcellaneo per quatuor horas, aquam si necesse fuerit restituendo, deinde affunde

Aquae destillatae *libras duas cum dimidia.*

Ebulliant, donec supersint circiter *librae tres.*

Solutionem fervidam filtra et ad crystallisationem sepone.

Crystallis separatis residuum tamdiu evaporetur, quamdiu crystalli nascuntur, lixivium ultimum rejice. Crystallos collectas pauxillo aquae lava, dein in aqua destillata solve et denuo in crystallos redige. Crystallos siccatas et in pulverem redactas serva.

Sit pulvis albissimus, saporis primum dulcis, deinde irritantis metallici, in aquae destillatae frigidae partibus quindecim, in fervidae autem tribus absque sedimento solubilis.

Ne sit Calcaria, Kali tartarico acido, Arsenico vel metallis inquinatum.

448. Kali sulfuricum.

Arcanum duplicatum. Tartarus vitriolatus. Sulfas Lixivae. Sal polychrestum Glaseri.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos rhombicas, decolores, saporis salsi amariusculi, in aëre immutabiles, ignis vim sustinentes. In aquae frigidae partibus decem, in quatuor partibus bullientis, minime autem in spiritu vini solubiles, perfecte neutri et ab inquinamentis metallicis penitus immunes.

449. Kali tartaricum acidum depuratum.

Tartarus depuratus. Cremor Tartari. Tartras Lixivae acidulus. Crystalli Tartari.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Exhibet crustas compactas e crystallis rhombicis, duris, fragilibus, aëri resistentibus, albis, diaphanis, saporis acido-acerbi. Solvuntur in aquae frigidae partibus 184 et in fervidae quatuordecim, in spiritu vini non solubiles.

Ne sit cupro et plumbo inquinatum, calcariae nonnisi vestigia contineat.

450. Kali tartaricum boraxatum.

Tartarus boraxatus. Borax tartarisata. Cremor Tartari boraxatus. Cremor Tartari solubilis.

℞. **Boracis depuratae** *uncias quatuor,*
Kali tartarici acidi depurati pulverati *libram unam,*
solve in
Aquae destillatae fervidae *libris quatuor.*

Stent in vase vitreo, loco frigido per 12 horas.

Liquorem filtratum in vase porcellaneo leni calore evapora, et massam ita ortam, penitus siccatam tere in pulverem, quem statim in vas optime clausum reponas.

Sit pulvis albus, in aëre humescens, saporis aciduli, salsi, in aquae pondere aequali penitus solubilis, ab inquinamentis metallicis omnino liber.

451. **Kali Tartaricum neutrum.**

Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus. Tartras Lixivae neuter.

℞. Kali carbonici puri *libram unam,*
Aquae destillatae *libras octo.*

Solutioni in lebete stanneo calefactae adde sensim sub continua agitatione:

Kali tartarici acidi depurati pulver. *libras duas et dimidiam,*
vel quantum sufficit ad perfectam neutralisationem.

Liquorem sepone per quadraginta octo horas, deinde filtra, et blando igne ad siccum evapora.

Massam in loco calido plane exsiccatam, deinde in pulverem tritam et per cribrum setaceum trajectam, in vitro bene clauso serva.

Sit pulvis albissimus, omnino neuter, saporis amariusculi salsi, in aquae frigidae pari pondere penitus solubilis, ab inquinamentis metallicis penitus et a salibus alienis in quantum fieri potest liber.

452. **Kalium ferro-cyanatum flavum.**

Kali ferroso-hydrocyanicum. Kali borussicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos plerumque in massas cohaerentes, flavas, in aquae frigidae partibus quatuor, minime autem in spiritu vini solubiles, inodoras, saporis dulciusculi amari et salsi.

†453. **Kalium jodatum.**

Kali hydrojodicum s. hydrojodinicum. Hydrojodas Lixivae.

Exstat in officinis chemicis.

Sint crystalli cubicae, decolores, inodorae, saporis salsi, acris, calore rubro funduntur, majore calore avolant.

In aëre immutabiles, in aquae frigidae $^3/_4$ partibus et in sex part. Alcoholis solubiles.

Ne sint carbonate et jodate Lixivae inquinatae, nec contineant nisi Chlori et Sulfatis Lixivae vestigia.

454. Kalium sulfuratum.

Hepar Sulfuris kalinum. Sulfuretum Lixivae.

℞. **Sulfuris sublimati crudi**	*unciam unam,*
Kali carbonici puri	*unciam unam et dimidiam.*

Mixtas in crucibulo porcellaneo tecto leni igne liquefac, tum effunde in lapidem calefactum.

Massam refrigeratam in pulverem grossiusculum contere, et statim in vas bene claudendum reconde.

Sit coloris e fusco citrini, in aquae frigidae partibus duabus penitus solubile.

455. Kalium sulfuratum pro balneo.

Hepar Sulfuris vulgare.

℞. **Sulfuris citrini pulverati**	*libram unam,*
Kali carbonici crudi	*libras duas.*

Mixtas et in sartagine operculo tecta liquefactas in mortarium ferreum effunde, dein massam refrigeratam in pulverem grossiusculum contunde, et per cribrum ferreum trajectam reconde.

456. Kino.

Gummi Gambiense.

Succus aëre induratus *Echinotisci erinacei* Benth. *(Pterocarpi erinacei* Lam.*)* arboris *Papilionaceae* in Africa tropica crescentis, occurrit in fragmentis irregularibus, acutangulis, atro-rubicundis, nitidis, margine subdiaphanis, fragilibus, in pulverem fusco-rubrum redigendis. Odor nullus, sapor cum aliqua dulcedine valde adstringens. In aqua frigida non ultra dimidium, in fervida fere totum solvitur, cum spiritu vini solutionem sanguinei coloris praebet. Masticata salivam violaceo colore tingit.

Kino nomine circumferuntur gummata americana et australica diversis natalibus, a Kino vero africano cautius distinguenda.

Spuria merces jam amaro sapore dignoscitur.

†457. Kreosotum.

Liquor decolor, limpidus, oleo aethereo similis, e Pissa liquida Fagi sylvaticae destillatione paratus, odoris vehementissimi, saporis caustici,

in aquae partibus octoginta, in spiritus vini rectificatissimi qualibet quantitate solubilis.

In liquore Kali caustici solutus, aqua admixta ne turbetur.

†458. **Lactucarium.**

Succus lacteus aëre induratus *Lactucae sativae* Linn. plantae *Compositae* inter cultas notissimae. Colligitur e planta nondum deflorata, fructum maturescente, mane caulis ac foliorum epidermide transversim incisa, atque lacrymis spissescentibus horis pomeridianis collectis, leni deinde calore penitus exsiccatis.

Prostat in frustis irregularibus, pisi vel nucis avellanae magnitudine, colore e flavo fusco et sordide virescenti mixto, opacis, friabilibus, fractura albido-flavescente. Odor peculiaris aliquomodo Opio similis, sapor subacri-amarus.

Cum aqua solutionem turbidam praebet, in aethere et spiritu vini ex parte tantum solubile.

Servetur in vasis bene clausis.

Ex integra planta pressione obtentum et mucidum rejiciatur.

459. **Lapides Cancrorum.**
Oculi Cancrorum.

Concrementa osseo-lapidea, concavo-convexa, pisi circiter magnitudine, e lamellis sibi incumbentibus composita, alba, *Astaci fluviatilis* Fabric. *(Cancri Astaci* Linn.*)* animalis *Decapodi* notissimi ventriculo geminatim inhaerentia, mense Augusto, quo tempore cancer crustam mutat, reperiunda, praeter membranam cellulosam pro maxima parte e Calcaria carbonica et phosphorica constantia.

Solvantur in acido hydrochlorico, lamellas diaphanas gelatinosas, lapidum formam relinquentes.

460. **Lapides Cancrorum praeparati.**

℞. **Lapidum Cancrorum** *q. v.*
Superfunde

Aquae fontanae fervidae *s. q.*
ablue, sicca et redige in pulverem subtilissimum.

461. Lapis Pumex.

Scoriae semivitreatae lapidum in regionibus vulcanicis obviae, plus minus porosae, leves, friabiles.

462. Lichen islandicus.

Cetraria islandica Achar. planta *Lichenosa* in Europa boreali, in montibus celsioribus Europae mediae et australis gregarie ad terram nascens, constans e thallo cartilagineo, olivaceo-castaneo, basi albido, sanguinolento, subtus pallidiore, laciniato, laciniis sublinearibus, multifidis, dentato-ciliatis, in sicco aspero, strepente, fragili, humectato cartilagineo-subcoriaceo, saporis peramari.

Cave ne sit ligni aut muscorum fragmentis admixtis nimis inquinatus.

463. Lignum Guajaci.
Lignum sanctum.

Guajaci officinalis Linn. arboris e familia *Zygophyllearum*, in America tropica, imprimis in insulis Antillanis crescentis lignum, e trunco vel ramis validioribus desumptum, occurrit in frustis longitudinaliter v. transversim sectis, ponderosis, in aqua subsidentibus, compagem densam, subtilem monstrantibus, decorticatis, ex alburno pallide luteo et nucleo lignoso-fusco virente, versus centrum glauco-subirrorato compositis.

Vehementius fricatum v. accensum odorem spargit aromaticum, diutius masticati sapor est leniter amaricans, deinde subacris.

Rasura venalis (Scobs Guajaci) maximam partem e solo alburno constans v. saepissime admixtis lignis alienis inquinata, non adhibeatur.

464. Lignum Juniperi.

Juniperi communis Linn. arbusculae v. fruticis e *Cupressinarum* familia notissimi lignum e trunco, ramis et radice desumtum, in frustis

venditur longitudinaliter fissis, cortice indutis extus griseo, intus ferrugineo, substantia lignosa albida, v. radicis ochroleuca aut subrubella, compacta, resinosa.

Odor accensi ligni balsameus cuivis notus.

Lignum radicis ligno ramorum et imprimis trunci praestantius habetur.

465. Lignum Quassiae surinamense.

Quassiae amarae Linn. arboris Americae tropicae e *Simarubacearum* familia, lignum trunci et ramorum. Exhibet frusta cylindrica, saepe curvata et nodosa, pollicis v. brachii crassitie, cortice griseo aut lutescente passim maculato, glabro v. subrugoso, fragili, ligno albido v. subflavo tenaci, levi, inodoro, saporis amarissimi.

Non adhibeatur lignum Quassiae jamaicense e Picrodendro Sloanei Endl. (Rhoe Metopio Linn.) petitum, quod in frustis occurrit brachii crassitiem saepe excedentibus, cortice crasso, arcte adhaerente, rugoso, tuberculato, obscurius cinereo, maculis nigrescentibus consperso, ligno pallide flavo-fuscescente, multo duriore.

466. Lignum Santali rubrum.

Pterocarpi Santalini Linn. fil. arboris *Papilionaceae*, in Asia tropica crescentis ut creditur lignum, prostat in segmentis diversae magnitudinis, fusco-rubris, intus laete saturato-sanguineis, compactis, radiatim fibrosis.

Odor triti vel fricati subaromaticus, sapor modice adstringens. Pigmentum rubrum spiritu vini extractum, addito ferro sesquichlorato colorem violaceum induit.

467. Lignum Sassafras.

Sassafras officinalis Nees. arboris e *Laurinearum* ordine in Americae borealis provinciis australioribus crescentis lignum leve, subspongiosum, pallide griseo-fuscescens v. rubellum, tectum cortice crasso,

rimoso, molli, friabili, extus cinereo-fusco, saepe nigro-maculato, intus ferrugineo. Prostat in frustis cylindricis, flexuosis, nodosis, variae magnitudinis.

Odor fragrans, foeniculaceus, sapor aromaticus.

468. Linimentum ammoniatum.
Linimentum volatile.

℞. Olei olivarum	*uncias quatuor,*
Ammoniae purae liquidae	*unciam unam.*

Misce, in lagena vitrea conquassando.

469. Linimentum saponato-camphoratum.
Balsamum Opodeldoc.

℞. Saponis Veneti	*unciam unam,*
Saponis communis albi	*uncias duas,*
Spiritus vini rectificati	*libram unam.*

Digere ad solutionem, cui filtratae adde:

Olei Lavandulae	
„ Rosmarini	*āā drachmam unam,*
Ammoniae purae liquidae	*unciam semis,*
Camphorae in spiritu vini solutae	*drachmas duas.*

Misce et in vasis bene obturatis serva.

† 470. Liquor acidus Halleri.
Elixir acidum Halleri.

℞. Spiritus vini rectificatissimi	
Acidi sulfurici concentrati depurati	*āā partes aequales.*

Infundatur acidum in spiritum, ut mixtura calefiat, et servetur in vase epistomio vitreo clauso.

Sit liquor limpidus, flavescens, saporis acidissimi corrosivi, odoris spirituoso-aetherei.

471. Macis.

Arillus semen (nucem improprie dictum) *Myristicae moschatae* Linn. arboris e *Myristicearum* ordine, in insulis Moluccis crescentis, obvolvens,

recens carnosus, sanguineus, siccus exhibet lamellas tactu pingues, subcarnosas, luteo-coccineas, fragiles, multifidas, laciniis linearibus apice reflexis, denticulato-incisis, oleo unguinoso et aethereo graves, odore aromatico et sapore fervido insignes.

472. Magnesia carbonica.

Magnesia alba. Magnesia Muriae. Carbonas Magnesiae.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit massa nivea, inodora, levissima, in aqua insolubilis, in acidis cum effervescentia facile solubilis, a salibus sulfuricis et calcaria plane libera.

473. Magnesia sulfurica.

Sal amarus. Sulfas Magnesiae. Sal anglicus, Sedlicensis, Epsomensis.

Sal in officinis chemicis paratus, exhibet crystallulos prismaticos, albos, splendentes, inodoros, saporis salsi amari, in aquae frigidae partibus duabus, minime autem in spiritu vini solubiles, in aëre parum, quin humescant, fatiscentes.

Rejiciatur sal metallis v. Natro sulfurico inquinatus.

474. Magnesia usta.

Magnesia pura. Magnesia calcinata.

℞. Magnesiae carbonicae in frustis *q. v.*

imprime in crucibulum vel in vas fictile non vitreatum, donec repletum fuerit, et imposito operculo figulino leviter igniatur tamdiu, donec aliqua pars massae calcinatae exempta, cum aqua commixta, affuso acido sulfurico jam non effervescat.

Solvatur facile in acido sulfurico et hydrochlorico.

Ne sit calcaria inquinata.

475. Magnesia usta in aqua.

Magnesia hydrica. Antidotum Arsenici albi.

℞. Magnesiae recenter ustae *uncias duas*,

Aquae destillatae *libram unam.*

Mixtas serva in lagena vitrea bene clausa.

Haec quantitas praeparati in pharmacopoliis semper praesto sit.

476. Maltum Hordei.

Semina Hordei incipiente germinatione ope caloris auctioris necata et celeriter siccata, saporis dulcis amariusculi, farinacei.

477. Manganum hyperoxydatum nativum.

Magnesia vitrariorum. Manganum nativum.

Fossile venale in massis crystallinis, fibrosis, griseo-nigris, metallico-nitentibus, ponderosis, duritici exiguae, pulverem praebens griseo-nigrum.

478. Manna calabrina electa.

Succus saccharinus e truncis et ramis sauciatis *Fraxini Orni* Linn. arboris e familia *Oleinarum*, in Calabria et Sicilia cultae, effluens, et aëre induratus, occurrit in massis grumosis e frustulis variae magnitudinis, flavis v. albidis conglobatis, saporis dulcis, submellei cum quadam acredine subnauseosa.

479. Manna calabrina cannellata.

Mannae calabrinae varietas purissima, sistens fragmina subcylindrica, canaliculata, sicca, levia, friabilia, parum glutinosa, saporis mellei purioris absque acredine.

480. Mannitum.

Saccharum Mannae.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos prismaticas vel aciculares, albissimas, nitentes, saporis grati dulcis, in aqua et spiritu vini fervido facile, in spiritu vini frigido parum solubiles.

†481. Massa pilularum Ruffi.

℞. **Pulveris Aloës**	*uncias tres,*
„ **Myrrhae**	*unciam unam c. dimidia,*
„ **Croci gallici**	*unciam dimidiam.*

Misce cum

Spiritus vini rectif. dilut.	*s. q.*

ut fiat massa pilularum.

482. Mastix.
Mastiche.

Succus resinosus, aëre inspissatus, e trunco *Pistaciae Lentisci* Linn. arboris e *Terebinthacearum* ordine, imprimis in insulis Archipelagi graeci crescentis, sistit grana globosa, piperis v. pisi magnitudine, alba, mixta cum granis majoribus, irregularibus, flavidis, pellucidis, extus subpulverulentis, duris, friabilibus, odoris debilis, aromatici, saporis aromatici, irritantis. Mastix leni calore fluit et comburendo spargit odorem balsameum, in aqua non solubilis, in spiritu vini pro maxima parte, in oleis omnino solvitur. Ori immissa mollescit et dentibus adhaeret.

483. Medulla ossium praeparata.
Medulla bovis praeparata.

℞. **Medullam ossium recentem,**
lenissimo calore liquefactam trajice per linteum et leniter exprime.

484. Mel.

Ab *Apibus mellificis* Linn. insectis *Hymenopteris* notissimis e succis saccharatis florum paratum, favis diffractis lenissimo calore effluit, syrupi spissi diaphani consistentia, tractu temporis in massam granulosam, opacam mutandum.

Ne sit acidum vel farina adulteratum.

485. **Mel depuratum.**
Mel despumatum.

℞. **Mellis crudi** *libras decem,*
Aquae fontanae *libras quinque.*

Mixta coquantur leni igne in lebete stanno inducto, spumam ope cochlearis despumatorii saepius removendo, ad consistentiam syrupi spissioris. Liquor per manicam panneam colatus, post refrigerationem in loco frigido servetur.

486. **Mel rosatum.**
Mel Rosarum.

℞. **Florum Rosarum rubrarum siccatarum** *uncias tres,*
Aquae fontanae fervidae *libras duas.*

Sepone per tres horas, tum cola et exprime, atque liquori filtrato adde:
Mellis depurati *libras sex.*

Mixta evaporentur igne minuto, ad mellis spissitudinem.
Serva loco frigido.

†487. **Morphium.**
Morphina. Morphium purum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sint crystalli prismaticae, aciculares, tenues, nitentes, decolores, inodorae, saporis amari, in aëre persistentes, in aqua frigida vix, in fervida parum, in spiritu vini rectificatissimo fervido facile, in aethere minime solubiles. Solutio aquosa chartam exploratoriam rubram caeruleo tingat. Salia Morphii admixto Ferro sesquichlorato soluto colorem coeruleum induant.

Ne sit Narcotino inquinatum.

†488. **Morphium aceticum.**
Acetas Morphii.

℞. **Morphii puri in pulverem triti** *unciam dimidiam,*
Acidi acetici concentratissimi *drachmam unam et dimid.*

Misce in mortario vitreo, in quo stet per aliquot horas in loco frigido, ut massam siccam praebeat, quae in pulverem trita in vase vitreo optime munito servetur.

Sit pulvis albidus, saporis peramari, in aqua destillata solubilis.

†489. Morphium hydrochloricum.

Morphium muriaticum. Murias Morphii.

℞. **Morphii puri** *q. v.*
Misce cum
Aquae destillatae fervidae *partibus quinque,*
addendo guttatim
Acidi hydrochlorici diluti *q. s.*
ad perfectam solutionem. Liquorem filtratum in crystallos redige.

Sint crystalli aciculares, tenues, sericeo-nitentes, levissimae, saporis amari, ad aërem immutabiles, solvantur in aquae frigidae partibus sedecim, in fervidae pari fere pondere, facillime autem in spiritu vini.

490. Moschus Tunquinensis.

Substantia unctuosa, in folliculo contenta, qui in marium *Moschi moschiferi* Linn. animalis *Ruminantis*, in Asiae mediae alpibus gregatim vagantis, ventre pone praeputium haeret.

Folliculi exsiccati, e regno Tubetano et ex imperio Chinensi adlati sunt suborbiculares, ovi gallinacei minoris plerumque mole, in facie superiori, qua ventri animalis adhaeserant, plani, nudi, tegmen subcoriaceo-membranaceum monstrantes, in facie inferiori plus minus convexi, pilis tecti subfuscescentibus, rigidis, fistulosis, in ambitu rarioribus, adpressis, versus centrum copiosioribus, longioribus, rigide erectis, et versus duo foramina subcentralia, e ducto excretorio abscisso residua, convergentibus. Sub tegmine exteriore intra pelliculam tenuem, rigidiusculam et facile a tegmine exteriore solubilem, continetur substantia officinalis grumosa, e glebulis variae magnitudinis compacta, fusco-nigra, plus minus mollis, pingue-nitens, cum membranae interioris particulis subtilioribus et pilis tenerrimis mixta, odoris penetrantissimi, in majori copia e folliculo sumta subammoniacalis, saporis amaricantis.

Rejiciatur Moschus cabardinus, in folliculis majoribus, foraminibus excretoriis non prope centrum, sed plerumque pone ambitum sitis, glebam plerumque homogeneam, odoris multo debilioris, urinosi includens. Cave a folliculis genuinis quidem, sed substantia officinali exemta, artefacta gleba farctis, foramine vel fissura varie consuta aut conglutinata.

491. Mucilago Cydoniorum seminum.

℞. **Seminum Cydoniorum**	*drachmas duas,*
Aquae fontanae	*uncias sex.*

Conquassa in lagena vitrea et cola.

492. Mucilago Gummi arabici.

℞. **Gummi arabici albissimi in pulverem triti**	*unciam dimidiam,*

solve sensim affundendo:

Aquae fontanae	*unciam unam,*

et triturando in mucilaginem redige.

493. Mucilago Tragacanthae.

℞. **Tragacanthae pulveratae**	*grana quatuor.*

Misce et tere usque ad perfectam solutionem cum

Aquae fontanae fervidae	*uncia una.*

Paretur ex tempore.

494. Myrrha.

Succus resinosus, aëre induratus *Balsamodendri Myrrhae* Ehrenb. arboris in Arabia felici crescentis ex ordine *Burseracearum.* Sistit frusta globosa v. subirregularia, pisi vel nucis juglandis mole, ochroleuca v. rubro-fusca, saepe albo-maculata, subpellucida, pingui-nitentia, friabilia, odoris et saporis peculiariter aromatici et subamari. Solvitur pro parte minori in aqua, solutione flavo-fusca turbida. In spiritu vini

pro majore parte solubilis, solutione limpida. Calefacta quin liquetur intumescit, odorem aromaticum spargens, flammae admota statim deflagrat.

495. Natrium chloratum.

Sal culinaris. Murias Sodae.

Sal purus solvitur in 2,7 partibus aquae frigidae vel fervidae.

496. Natrum aceticum crystallisatum.

Terra foliata Tartari crystallisata. Acetas Sodae.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos prismaticas, in aëre fatiscentes, in aquae tribus, in alcoholis quinque partibus solubiles, saporis salsi, amariusculi, ab inquinamentis metallicis prorsus, et a salibus alienis quantum fieri potest puras.

497. Natrum bicarbonicum.

Carbonas Sodae acidulus. Bicarbonas Sodae.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit pulvis albus, saporis mitis, non alcalini, nisi sub finem degustationis modici, in aëre non fatiscens, solubilis in aquae frigidae partibus tredecim. Solutio Curcumam non tingat, nec solutionem Magnesiae sulfuricae turbet.

498. Natrum boracicum purum.

Natrum boricum. Boras Sodae. Borax depurata. Borax veneta.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli prismaticae, decolores, subpellucidae, saporis subdulcis, subalcalini, in aëre fatiscentes, calore liquescentes, et in massam levem spongiosam (Boracem ustam), demum in compactam pellucidam (Boracem vitrificatam) rediguntur. Solvuntur in aquae frigidae duodecim, in fervidae duabus partibus.

Sint liberae ab omni inquinamento metallico.

499. **Natrum carbonicum crystallisatum.**
Alcali minerale. Carbonas Sodae alcalescens.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos amplas, prismaticas, rhomboidales, decolores, fatiscentes, saporis alcalini, in duabus partibus aquae frigidae solubiles.

Sit ab inquinamentis metallicis plane et a Natrio chlorato et Natro sulfurico fere liberum.

500. **Natrum carbonicum siccum.**
Carbonas Sodae siccus.

℞. Natri carbonici crystallisati *q. v.*

Ruditer contusum expone aëri in loco tepido, ut in pulverem dilabatur, quem in vasis bene obturatis loco sicco serva.

501. **Natrum nitricum depuratum.**
Nitrum cubicum depuratum. Nitras Sodae depuratus.

Natrum nitricum venale (Nitrum Chilense), sal ex America australi advectus, massam exhibens crystallinam, sordide albam, pro usu pharmaceutico iterata crystallisatione depuretur.

Crystalli sint rhomboidales, in aquae frigidae duabus partibus, et in fervidae aequali minore quantitate solubiles.

Sit ab inquinamento metallico penitus et a Chloro fere liberum.

502. **Natrum phosphoricum.**
Sal mirabilis perlatus. Phosphas Sodae.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit prismata tetragona, recentia pellucida, cito fatiscentia, saporis subamari, subsalsi, mitis, refrigerantis, in aquae frigidae partibus quatuor, in fervidae partibus duabus solubilia.

Sit ab inquinamentis metallicis prorsus, ab acido sulfurico et a Chloro fere liberum.

503. **Natrum sulfuricum crystallisatum.**
Sal mirabilis Glauberi. Sulfas Sodae.

In officinis chemicis paratum, frusta exhibet crystallina, alba, in aëre fatiscentia, saporis salsi amari, refrigerantis.

Natrum sulfuricum crudum semper plus minus vario modo, imprimis Natrio chlorato inquinatum, ante usum pharmaceuticum nova crystallisatione repurgetur. Metallis, Zinco vel Hydrargyro sulfurico inquinatum, horum metallorum reactiones exhibens, plane rejiciatur.

Crystallos loco frigido serva.

Sint crystalli prismaticae, in aëre fatiscentes, in duabus aut tribus aquae frigidae partibus solubiles.

504. **Natrum sulfuricum siccum.**
Sal mirabilis siccus seu dilapsus.

℞. Natri sulfurici crystallisati *q. v.*

Expone aëri sicco, calore lenissimo, donec penitus in pulverem album dilapsum fuerit, quem per cribrum trajectum in vase tecto serva.

505. **Nuces Juglandis immaturae.**

Juglandis regiae Linn. arboris notissimae proprii ordinis in Persia indigenae, nunc per omnem Europam cultae fructus immaturi, colligendi antequam endocarpium lignescere incipit.

506. **Nuclei Cerasorum.**

Druparum *Pruni avium* Linn. imprimis varietatis *sylvestris*, arboris ex *Amygdalearum* grege, per omnem fere Europam spontaneae, quas Cerasa vocant, putamina ossea.

507. **Nux moschata.**

Myristicae moschatae Linn. arboris in insulis Moluccis indigenae et etiam cultae, sui ordinis, semen rejecto epicarpio et soluto arillo carnoso (vid. Macis) siccatum, subglobosum, ponderosum, constans ex

integumento exteriori tenui, arcte adhaerente, griseo-fusco, reticulatim venoso, et ex albumine denso, oleoso-adiposo, integumenti processubus ruminato, et pallide rubro v. fusco-rubro variegato.

Odor grate aromaticus, peculiaris, sapor fervidus. Nuces moschatas leves, mucidas v. ab insectis arrosas rejice.

†508. Nux vomica.

Aquae fontanae *libris septem,*
et colatura adhuc fervida infundantur
Florum Boraginis
„ Rosarum
Foliorum Sennae
Seminum Anisi vulgaris *āā uncia.*

Stent per 12 horas, dein cola et exprime. Liquores obtentos commixtos evapora ad remanentiam *librarum octo.*

Sepone ad sedimentationem, decanta et additis
Sacchari albi
Mellis depurati *āā unciis sedecim*
coque clarificando cum albumine ovi ad syrupi consistentiam.

651. Roob Mororum.

E baccis Mori paretur, ut roob Ebuli.

652. Roob Sambuci.

E baccis Sambuci nigrae paretur, ut roob Ebuli.

653. Roob Spinae Cervinae.

E baccis Spinae cervinae paretur, ut roob Ebuli.

654. Rotulae Menthae piperitae.

℞. **Olei Menthae piperitae** *guttas viginti quatuor.*

Solve in lagena vitrea in

Aetheris acetici *guttis triginta,*

et agitando vas hac solutione intus obduc.

Deinde immitte

Rotularum Sacchari *uncias duas,*

vas bene agitando rotulas humecta, tum siccatas in vase vitreo bene clauso serva.

655. Rotulae Sacchari.

Praeparatum ex officinis conditorum.

656. Saccharum album.

Substantia notissima, e succis saccharatis diversarum plantarum, imprimis autem *Sacchari officinarum* Linn. *Graminis* inter tropicos culti, et *Betae vulgairs* Linn. arboris *Chenopodeae*, in officinis propriis parata.

Ad usus pharmaceuticos eligatur saccharum coloris albissimi, inodorum, siccum, in aëre immutabile, durum, fractura crystallina nitente, massa densa compacta, crystallulis minimis dense connatis composita.

657. Saccharum lactis.

E sero lactis vaccini paratum, prostat in placentis crystallinis v. in massis cylindricis, e crystallis minutis prismaticis, diaphanis, albis, inodoris, dulciusculis, inter dentes stridentibus, compactis.

Solvitur in aquae fervidae partibus tribus et in frigidae partibus sex, in spiritu vini vix solubile.

Saccharum lactis odoris rancidi rejice.

658. Sago.

Sagi Rumphii Willd. *Sagi fariniferae* Gärtn. aliarumque *Palmarum* in insulis Sundaicis crescentium amylum, e trunci medulla bene elutriatum ac humidum, temperatura 60—70° C. granulatum atque siccatum, sistit granula irregularia, subdiaphana, dura, amyli granula

minutissima immutata saepissime includentia, alba, flavescentia, quandoque fuscescentia et rutilia.

659. **Salicinum.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos aciculares, albas, saporis amari, in aëre persistentes, in aqua et spiritu vini solubiles, quae ignitae absque residuo avolant, acido sulfurico concentrato impraegnatae colorem coccineum induunt.

660. **Sal thermarum Carolinarum.**

Sal venalis, evaporatione thermarum Carolinarum paratus.

661. **Sandaraca.**

Callitris quadrivalvis Vent. *(Thujae articulatae* Linn.*)* arboris ex ordine *Cupressinearum* in Africa boreali-occidentali crescentis, resina sponte effluens in aëre siccata, prostat in granulis subrotundis v. in lacrymis elongatis, ex albido citrinis, splendescentibus, pellucidis, friabilibus, odoris grati, saporis balsamici.

662. **Sanguis Draconis.**

Succus resinosus, aëre induratus, e fructibus *Calami Rotang* Linn. *Palmae* fruticosae, scandentis, in insulis Moluccis crescentis collectus, prostat in baculis cylindricis, vel in massis ovatis seu conicis, pruni magnitudine, Palmae folio obvolutis, atro-rubris, superficie striatis, duris, opacis, fragilissimis, inodoris et fere insipidis. Masticando salivam rubro inficiat, super prunis odorem spargat balsameum, et triturando pulverem praebeat cinnabarinum.

†663. **Santoninum.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli prismaticae rectangulares aut foliaceae, sint decolores, lucis influxu flavescentes, inodorae, amaricantes, vix in aqua, in 43 partibus spiritus vini et 75 partibus aetheris solubiles.

Serva in vitro nigro.

664. Sapo albus.

Sapo venalis, sit siceus, modice asper, fraetura grumulosus, odoris proprii, nee odore nee sapore raneidus.

665. Sapo amygdalinus.

℞. **Natri carbonici crystallisati** *libras quatuor,*
Calcariae causticae *libras duas,*
aspersione eum aqua in pulverem redige, deinde coque cum
Aquae fontanae *libris viginti.*

Ebulliant per quadrantem horae et liquor causticus per linteum coletur, ae in lagena vitrea bene clausa subsidendo depuretur, in vase ferreo bulliendo evaporetur, donee sit frigefactus gravit. specif. 1,35; deinde iterum stet in lagena vitrea bene clausa per aliquot dies, ut subsidendo ulterius depuretur.

Demum effunde in vas poreellaneum, et admisce:
Olei Amygdalarum dulcium *duplum pondus.*

Massam in loco frigido agita eontinuo cum spathula lignea, donec homogenea sit et spissescere ineipiat, deinde in eapsulas papyraceas effusam et in loeo temparato siecatam in tabulas seinde.

Sit albus, durus, nee oleosus nee nimis alealinus, nequaquam autem raneidus, in aqua et spiritu vini plane solubilis.

666. Sapo venetus.

Ex oleo Olivarum cum Lixivio Natri caustici paratus, sit albus, solidus, taetu submollis, odoris et saporis non ingrate saponaeei, facile in pulverem redigendus.

667. Sapo viridis.

Sapo venalis, eoetione Lixivae caustieae et adipis piseium paratus, massam exhibet mollem, eoloris sordide viridis vel fuseo-nigrescentis, odoris ingrati, saporis alealini caustiei.

Aëri expositus non dureseit, in aqua et spiritu vini faeile solvitur.

†668. Scammonium.

Scammonium Haleppense.

Gummiresina e radice napiformi vulnerata *Convolvuli Scammoniae* Linn. plantae *Convolvulaceae* in Syria et Asia minore crescentis collecta, prostat in massis compactis, levibus, friabilibus, nonnihil porosis, fractura nitentibus, cinereis vel viridescentibus, triturando in pulverem albido-griseum redigendis. Odor debilis nauseosus, sapor nauseoso-subacris, amarescens.

Scammonium fuscum vel nigrum, admixta farina v. arena inquinatum, Smyrnaeum dictum, rejice.

669. Sebum ovillum.

Pinquedo abdominalis *Ovis Arietis* Linn. *Ruminantis* recens, non rancida.

†670. Secale cornutum.

Secalis cerealis Linn. *Graminis* ubique in annonam culti fructus, sub prima evolutione a fungillo mucedineo invasi et deformati, excrescentes in corpus monstrosum, subcylindrico-tetragonum, sursum modice incurvum, sulcis duobus longitudinalibus notatum, sex lineas ad unum pollicem longum, extus fusco-violaceum vel nigricans, intus album, marginem versus sensim violaceum, odoris submucidi, saporis nauseosi, modice acris.

Colligatur instante messe, serena tempestate in agris, et in vitris optime clausis, nec ultra annum servetur.

Corrosum, rancidum, Ammonium redolens rejiciatur.

671. Semen Anisi.

Anisi vulgaris Gärtn. *(Pimpinellae Anisi* Linn.*)* plantae *Umbelliferae*, in Oriente indigenae, in Europa passim cultae, diachenium ovatum vel subglobosum, pubescens, griseo-virescens, mericarpiis quinque-costatis, costis aequabilibus, lateralibus, marginantibus, vittis plurimis, inter costas sitis. Odor vehementer aromaticus, sapor fervidus juncta dulcedine.

672. Semen Cacao.
Faba Cacao.

Theobromatis Cacao Linn. arboris e familia *Büttneriacearum* in America calidiore spontaneae, nunc inter tropicos totius orbis cultae semina, amygdalarum magnitudine, ovato-oblonga, compressa, sub integumento fragili nucleum includentia furvum, in fragmenta dilabentem. Odor aromaticus debilis, sapor gratus, modice amarus, subadstringens.

Semina Cacao Caraccas dicta, reliquis plerumque majora, turgida et admodum pinguia optima censentur.

673. Semen Cardamomi minoris.

Alpiniae Cardamomi Roxb. plantae indicae ex ordine *Zingiberacearum*, semina intra capsulas semiunciales, obtuse triquetras, pallide griseo-flavas, triloculares, magno numero contenta, angulosa, lineam longa, rugosa, extus fusca, intus alba, odoris grate aromatici, saporis fervidi.

674. Semen Carvi.

Cari Carvi Linn. plantae *Umbelliferae*, in pratis imprimis montanis crescentis et frequenter cultae diachenia, duas circiter lineas longa, a latere compressa, subcurvata, fusca, mericarpiis quinque-costatis, costis aequalibus, filiformibus, lateralibus marginantibus, vittis inter costas solitariis. Odor aromaticus, sapor cum quadam amaritie condimentarius.

675. Semen Cinae.
Semen Santonici. Semen Contra.

Artemisiae Contra Vahl. et *Artemisiae Vahlianae* Kostel. plantarum *Compositarum* in Oriente crescentium, capitula florum ante anthesim collecta, nomine seminum Cinae Haleppensium s. Alexandrinorum venalia, oblongo-ovata, vix lineam longa, e flavo-viridia, glabra, subresinoso-nitentia, odoris gravis peculiaris, saporis aromatici ingrati, amari.

676. Semen Cinae conditum.

Semina Cinae electa saccharo condita, ex officinis cupediariorum petantur.

†677. Semen Colchici.

Colchici autumnalis Linn. plantae nostratis ex ordine *Melanthacearum*, semina matura, subrotundo-angulata, milii grano vix majora, fusco-nigricantia, areolato-rugosa, dura, hilo basilari deraso. Odor nullus, sapor admodum amarus, insigniter acris.

678. Semen Coriandri.

Coriandri sativi Linn. plantae *Umbelliferae* Europae australis, apud nos cultae, diachenia globosa, parva, pallide ochroleuca, mericarpiis arcte connatis, novem-costatis, costis quinque depressis flexuosis, quatuor magis prominentibus carinatis, vittis inter costas nullis, in commissura geminis.

Odor recentium ingratus, cimicinus, siccatorum aromaticus.

†679. Semen Crotonis Tiglii.
Grana Tiglii.

Tiglii officinalis Klotzsch. (*Crotonis Tiglii* Linn.) fruticis *Euphorbiacei* in Asia tropica crescentis, semina ovalia, fabae minoris magnitudine, hinc linea prominula percursa et caruncula umbilicali notata, integumento fragili, sordide cinereo-fusco, maculato-nebuloso, nucleo albo vel flavescente, oleoso, plerumque cum capsulae tricoccae reliquiis mixta.

Odor nullus, sapor acerrimus.

680. Semen Cydoniorum.

Cydoniae vulgaris Pers. (*Pyri Cydoniae* Linn.) arboris *Pomaceae*, passim in hortis satae semina ovata, acutiuscula, dorso convexa, facie plana, subtriquetra, integumenti cartilaginei, fusci, opaci, strato extimo e cellulis composito mucum copiosum includentibus, quae humore hausto turgescentes et mox diruptae mucilaginem copiosam emittunt.

681. Semen Foeniculi vulgaris.

Foeniculi vulgaris Gaertn. (*Anethi Foeniculi* Linn.) plantae *Umbelliferae* Europae meridionalis, apud nos in hortis satae diachenia subtereti-oblonga, viridescenti-fusca, glabra, mericarpiis quinque-costatis, valleculis inter costas solitariis, in commissura geminis.

Odor et sapor aromaticus, juncta dulcedine.

682. Semen Foeniculi romani.

Foeniculi dulcis DC. plantae *Umbelliferae* in Europa australi cultae diachenia, Foeniculo vulgari dimidio vel duplo majora, pallidiora, minus aromatica, dulcedine praevalente.

683. Semen Foeni graeci.

Trigonellae Foeni graeci Linn. plantae *Papilionaceae* in Europa australi indigenae semina oblonga, subrhombeo-tetragona, utrinque sulco obliquo exarata flavo-fusco, punctato-granulata, odoris gravis, saporis mucilaginosi, nauseoso-subaromatici.

†684. Semen Hyoscyami.

Hyoscyami nigri Linn. plantae *Solanaceae*, ruderalis, semina e capsulis operculatis collecta, minima, orbiculari-subreniformia, compressa, reticulato-rugosa, cinereo- v. ochroleuco-fusca.

Odor nullus, sapor amarus, cum quadam acrimonia.

Nonnisi bene matura, operculo capsulae ad tactum secedente legantur.

685. Semen Lini.

Lini usitatissimi Linn. plantae sui ordinis, vulgaris notitiae, semina ovato-oblonga, compressa, basi obtusiuscula, apice acuminata, sesquilineam circiter longa, integumento fusco, nitido, nucleo albido, oleoso.

686. **Semen Lycopodii.**

Lycopodii clavati Linn. plantae sui ordinis, in sylvis montanis elatioribus crescentis sporae minutissimae, e spicis fructiferis in furno siccatis excussae et per cribrum trajectae. Pulverem sistunt farinosum, tenerrimum, pallide flavum, tactu modice pingues digitis adhaerent, aquae innatant nec facile miscentur, flammis injectae celerrime cum strepitu fulminis instar sine fumo deflagrant.

Odor et sapor nullus.

687. **Semen Melonum.**

Cucumis Melonis Linn. plantae *Cucurbitaceae*, inter hortenses notissimae, semina obovato-oblonga, compressa, sub integumento flavo, duriusculo nucleum album, oleosum continentia.

688. **Semen Papaveris albi.**

Papaveris somniferi Linn. variet. cultura ortae, *Papaveraceae*, semina minuta, reniformia, albida, integumento reticulato-venoso, inodora, saporis mitis, oleosi, dulciusculi.

689. **Semen Peponum.**

Cucurbitae Peponis Linn. plantae *Cucurbitaceae*, in agris cultae semina obovata, compressa, hinc truncata, margine tumido cincta, sub integumento coriaceo, albido, nucleum oleosum continentia.

690. **Semen Phellandrii aquatici.**

Phellandrii aquatici Linn. plantae *Umbelliferae*, in paludosis Europae crescentis diachenia ovato-oblonga, sursum attenuata, calyce stilisque coronata, subfusca, mericarpiis obtuse quinquecostatis, costis lateralibus marginantibus, vittis in valleculis solitariis, in commissura subconcava geminis, curvatis, saturatius coloratis. Odor peculiaris, gravis, sapor aromaticus, acris.

691. Semen Ricini.

Ricini communis Linn. plantae *Euphorbiaceae* in Asia calidiore spontaneae, passim hortis satae semina subovata, cinereo-fusco-variegata, glaberrima, nitida, integumento fragili, caruncula prope basim lateralia, rhaphe longitudinali, nucleo embryonem centralem gerente albido, oleoso. Odor nullus, sapor primum mitis, oleosus, deinde acris.

Annosa vel a vermibus exesa rejice.

†692. Semen Sabadillae.

Schoenocauli officinalis A. Gray, plantae *Melanthaceae* in Andibus Mexicanis crescentis capsulae ternatae, facile secedentes, oblongae, acutae, griseo-flavescentes, seminibus duas lineas longis, subteretibus, curvatis, hinc acutis, rugosis, nigro-fuscis. Odor nullus, sapor acerrimus.

693. Semen Sinapis.

Sinapis nigrae Linn. plantae *Cruciferae*, inter indigenas notissimae, etiam cultae, semina exigua, subglobosa, fusco-ferruginea, minutim rugosa et reticulato-venosa, intus flava, triturando pulverem viridescentem praebentia.

Humectata auram explicant volatilem, acerrimam; sapor acerrimus, pungens.

†694. Semen Stramonii.

Daturae Stramonii Linn. plantae *Solanaceae* nostratis, in ruderatis crescentis, semina e capsula matura, ovata, aculeata, apice quadrifariam hiante collecta, compressa, reniformia, lentis minoris magnitudine, integumento fusco-nigro, opaco, duro, reticulatim venoso et minutim tuberculato, nucleo albo, oleoso. Tritorum odor nauseosus, sapor amarus, juncta quadam acrimonia.

695. Serum lactis aluminatum.

Paretur ut Serum lactis commune, loco Aceti vel Acidi tartarici

Aluminis crudi pulverati *drachmam unam*

adhibendo, et filtretur omnissa Magnesia carbonica.

696. Serum lactis commune.

℞. **Lactis vaccini recentis** *libras duas.*
Ebulliant, sub initio ebullitionis adde:
Aceti crudi *drachmas duas.*
Coagulatione peracta liquorem semirefrigeratum cola et cum
Ovi gallinacei albumine
in spumam conquassato mixtum iterum coque, et colato adde:
Magnesiae carbonicae *q. s.*
ad neutralisationem Acidi, et deinde Serum refrigeratum per chartam bibulam filtra.

Loco Aceti crudi adhiberi potest:
Acidi tartarici *scrupulus unus.*
Si Serum lactis acidum requiritur,
Magnesia carbonica ommissa
filtretur.

697. Serum lactis tamarindinatum.

Paretur ut Serum lactis commune, loco Acidi tartarici vel Aceti adhibendo:
Pulpae Tamarindorum *unciam unam,*
et filtretur ommissa Magnesia carbonica.

698. Siliqua dulcis.

Ceratoniae Siliquae Linn. arboris *Caesalpinieae* in Europa australi crescentis legumina compressa, rigide coriacea, badia, suturis marginalibus tumidis, transversim pluri-locularia, pulpam subfuscam, dulcem, et semina compressa, splendentia, durissima, includentia.

†699. Solutio arsenicalis Fowleri.

℞. **Arsenici albi**
Kali carbonici puri *āā grana sexaginta quatuor.*
Sedulo tritis et commixtis adde:
Aquae destillatae *uncias octo,*
coque in cucurbita, usque dum Arsenicum perfecte solutum fuerit.

Solutioni refrigeratae et filtratae adde:

Spiritus Angelicae compositi	*unciam dimidiam,*
Aquae destillatae	*q. s.*
ut pondus totius liquoris sit	*unciarum duodecim.*

Drachma una et dimidia solutionis continent granum unum Arsenici albi.

Cautissime serva.

700. Species Althaeae.

℞. **Herbae Althaeae**	*libras duas,*
Radicis „	*libram unam,*
„ Liquiritiae	*libram semis,*
Florum Malvae	*uncias duas.*

Concisas et commixtas serva.

701. Species amaricantes.

℞. **Herbae Absinthii**	
„ Centaurii minoris floridae	
Corticum Aurantiorum	*āā uncias quatuor.*
Foliorum Trifolii fibrini	
„ Cardui benedicti	
Radicis Calami aromatici	
„ Gentianae	*āā uncias duas,*
Corticis Cassiae Cinnamomeae	*unciam dimidiam.*

Concisae et contusae misceantur.

702. Species aromaticae.

Species resolventes.

℞. **Herbae Hyssopi**	
„ Marrubii	
„ Origani	
„ Rutae	
„ Satureiae	
„ Scordii	
Foliorum Salviae	
„ Menthae crispae	
Florum Lavandulae	*āā uncias duas.*

Concisas misce.

703. Species aromaticae pro cataplasmate.

℞. Specierum aromaticarum — *q. v.*
Redige in pulverem grossum.

704. Species emollientes.

℞. Foliorum Althaeae
„ Malvae
Herbae Meliloti floridae — *āā libram unam,*
Seminum Lini — *libras duas.*
Concisa et contusa misce.

705. Species emollientes pro cataplasmate.

℞. Specierum emollientium — *q. v.*
Contunde in pulverem grossiusculum.

706. Species laxantes St. Germain.

℞. Foliorum Sennae sine resina
minutim concisorum — *unciam unam,*
Florum Sambuci — *drachmas quinque,*
Seminum Foeniculi romani — *drachmas duas et dimidiam,*
Kali tartarici acidi depur. pulv. — *drachmam unam et dimid.*
Concisa et contusa bene misce.

707. Species Lignorum.

Species ad decoctum Lignorum.

℞. Radicis Bardanae
„ Sarsaparillae — *āā libram semis,*
„ Liquiritiae
Ligni Santali rubri — *āā uncias tres,*
„ Juniperi
„ Guajaci
„ Sassafras — *āā libram unam.*
Concisa misceantur.

708. Species pectorales.

Species ad infusum pectorale.

℞. **Foliorum Hepaticae**
„ **Pulmonariae**
„ **Scabiosae**
Radicis Liquiritiae
„ **Althaeae**
Hordei perlati
Siliquarum dulcium
Caricarum — *āā libras tres,*
Florum Verbasci
„ **Malvae** — *āā uncias tres,*
Fructuum Anisi stellati — *unciam unam.*

Concisae et contusae misceantur.

709. Spiritus Aetheris.

Liquor anodynus mineralis Hoffmanni. Spiritus Aetheris sulfurici.

℞. **Aetheris depurati** — *uncias tres,*
Spiritus vini rectificatissimi — *uncias novem.*

Misce et in lagena bene clausa serva.

Sit liquor limpidus, decolor, gravitatis specif. 0,820, ab inquinamentis Aetheris et Spiritus vini immunis.

710. Spiritus Aetheris chlorati.

Spiritus Salis dulcis.

℞. **Natrii chlorati** — *uncias octo,*
Mangani hyperoxydati — *uncias tres,*

commixtis et in retortam immissis adde mixturam ex:

Acidi sulfurici concentrati — *unciis sex,*
Spiritus vini rectificatissimi — *unciis viginti quatuor.*

Fiat in excipulum refrigeratum leni igne destillatio:

unciarum octodecim.

Liquor obtentus addita ad neutralisationem

Natri carbonici crystallisati *suffic. quantitate*

rectificetur et in vitris bene clausis servetur.

Sit liquor decolor, odoris peculiaris aetherei, saporis similis aromatici, gravitatis specificae 0,830—0,840, reactionis neutrius.

711. Spiritus Aetheris nitrici.

Spiritus Nitri dulcis.

℞. **Spiritus vini rectificatissimi** *libram unam,*

Acidi nitrici concentrati *uncias tres.*

Immissis in cucurbitam, apparatu refrigeratorio adaptato, fiat leni calore destillatio *unciarum decem.*

Liquor obtentus addita ad neutralisationem solutione diluta

Natri carbonici crystallisati *s. q.*

stet per aliquot dies, saepius agitando, et denuo blanda destillatione rectificatus in lagenulis minoris voluminis, bene repletis et optime clausis, loco frigido servetur.

Sit limpidus, decolor, flavescens, odoris grate aetherei, saporis aetherei, dulciusculi, ab acidis, quantum fieri potest, liber, grav. specif. 0,830.

712. Spiritus Angelicae compositus.

℞. **Radicis Angelicae** *libram unam,*

„ **Valerianae**

Baccarum Juniperi maturarum *āā uncias tres,*

concisis et contusis atque in vesicam destillatoriam immissis adde:

Spiritus vini rectificati *libras sex,*

Aquae communis *libras tres.*

Post macerationem per viginti quatuor horas fiat destillatio, donec prodierint *librae sex,*

in quibus solve

Camphorae *unciam unam et dimidiam,*

et filtra.

713. Spiritus Anisi.

℞. **Seminum Anisi contusorum**	*libram unam,*
Spiritus vini rectificati diluti	*libras sex et dimidiam,*
Aquae fontanae	*libras sex.*

Macera per duodecim horas et abstrahe *libras sex.*

714. Spiritus aromaticus.
Spiritus Carmelitarum. Spiritus Melissae compositus.

℞. **Foliorum Melissae**	*libram unam et dimidiam,*
Flavedinis corticum Citri recent.	*uncias quatuor.*
Seminum Coriandri	*uncias octo,*
„ **Cardamomi minoris**	
Nucis moschatae	
Corticis Cassiae Cinnamomeae	*āā uncias duas,*
Radicis Angelicae	*unciam unam,*

concisas et contusas infunde cum:

Spiritus vini rectificati	*libris sex,*
Aquae fontanae	*libris octo.*

Macera per duodecim horas et abstrahe *libras sex.*

715. Spiritus Carvi.

E seminibus Carvi paretur, ut spiritus Anisi.

716. Spiritus Cochleariae.

℞. **Foliorum Cochleariae recentium**	*libram unam,*
Spiritus vini rectificati diluti	
Aquae fontanae	*āā libras duas.*

Abstrahe *libras duas.*

717. Spiritus camphoratus.
Spiritus vini camphoratus.

℞. **Camphorae**	*uncias duas,*
Spiritus vini rectif. diluti	*libram unam.*

Stent in loco frigido saepius agitando, donec Camphora soluta sit, deinde filtra et in lagena bene clausa serva.

718. Spiritus Ferri chlorati aethereus.

Tinctura nervino-tonica Bestuschefii. Spiritus Aetheris ferrati. Liquor anodynus martiatus.

℞. Ferri sesquichlorati crystallisati — *unciam unam,*
Spiritus Aetheris — *libram unam.*

Misce conquassando in lagena vitrea, bene clausa, stet per aliquot dies, dein liquorem limpidum a sedimento separa et in lagena epistomio vitreo obturata serva.

Sit limpidus, coloris aurei, subflavescentis, odoris aetherei, saporis styptici ferrosi simulque aetherei.

719. Spiritus Formicarum.

℞. Formicarum rufarum viventium — *libram unam,*
Spiritus vini rectificati diluti
Aquae fontanae — *āā libras duas.*

Digere per aliquot dies, dein abstrahe — *libras duas.*

720. Spiritus Juniperi.

E baccis Juniperi maturis paretur, ut spiritus Anisi.

721. Spiritus Lavandulae.

℞. Florum Lavandulae siccatorum — *libram unam,*
Spiritus vini rectificati — *libras quatuor et dimid.*
Aquae fontanae — *libras sex.*

Macera per duodecim horas et abstrahe — *libras quatuor.*

722. Spiritus Menthae crispae.

E foliis Menthae crispae paretur, ut spiritus Lavandulae.

723. Spiritus Rosmarini.

E foliis Rosmarini paretur, ut spiritus Lavandulae.

724. Spiritus salis Ammoniaci anisatus.
Liquor Ammonii caustici anisatus.

℞. Spiritus vini rectificatissimi	*uncias tres,*
Olei Anisi	*drachmam unam.*
Solutis adde:	
Ammoniae purae liquidae	*drachmas sex.*

Serva in vase vitreo bene clauso.

725. Spiritus salis Ammoniaci lavandulatus.
Liquor Ammonii caustici lavandulatus.

Cum oleo Lavandulae para, ut spiritum salis Ammoniaci anisatum.

726. Spiritus saponatus.

℞. Saponis veneti	*uncias tres,*
Spiritus vini rectificati diluti	*libram unam et dimid.*
Aquae Lavandulae	*libram dimidiam.*

Digere et filtratum serva.

727. Spiritus Serpylli.

Ex herba Serpylli florida paretur, ut spiritus Lavandulae.

728. Spiritus Vini rectificatissimus.

Praeparatum officinarum propriarum.

Sit aquae instar limpidus, decolor, odoris et saporis mere spirituosi, ab omni inquinatione Fermentolei liber.

Contineat in temperatura 15° C. (+ 12° R.) in 100 partibus voluminis 90 partes Alcoholis anhydri

Pondus specificum = 0,8336.

729. Spiritus Vini rectificatus.

℞. Spiritus Vini rectificatissimi temperaturae 15° C.	*100 volumina,*

misce cum

Aquae destillatae ejusd. temperatur. *13,81 voluminibus;*

vel

Ejusdem Spiritus *100 pondera*

cum

Aquae destillatae *16,54 ponderibus.*

Continet in 100 partibus voluminis 80 partes Alcoholis anhydri.

Pondus specificum = 0,8636.

730. Spiritus Vini rectificatus dilutus.

℞. **Spiritus vini rectificatissimi temperaturae 15° C.** *100 volumina,*

misce cum

Aquae destillatae ejusd. temperatur. *53,64 voluminibus;*

vel

Ejusdem Spiritus *100 pondera*

cum

Aquae destillatae *64,29 ponderibus.*

Continet in 100 partibus voluminis 60 partes Alcoholis anhydri.

Pondus specificum = 0,9131.

731. Spongia marina.

Spongiae officinalis Linn. polyporium elasticum, notissimum, porosissimum, liquores sorbens, a concrementis lapideis, quae insunt, ante usum mundandum. Duae praeprimis in commercio sunt varietates: altera tenerior, pallidior, poris minutissimis pervia, vulgo Badeschwamm dicta; altera colore obscuriore et poris majoribus insignis, sub nomine spongiae strumalis (Kropfschwamm) nota.

732. Spongia pressa.
Spongia praeparata.

℞. **Spongias marinas tenues,**

coctione in

Aqua fontana mundatas,

et adhuc humidas prelo fortiter exprime, et perfecte exsiccatas serva.

†733. Stibium chloratum solutum.

Butyrum Antimonii. Murias Stibii solutus. Causticum antimoniale.

℞. **Stibii sulfurati nigri pulverati** *libram unam,*
Acidi hydrochlorici concentr. crudi *libras quatuor,*
sub divo calefiant in cucurbita vitrea, donec omnis gasis evolutio cessaverit.

Solutio decantata evaporetur sub divo ad gravitatem spec. 1,34—1,35.

Sit liquor limpidus, decolor vel parum flavescens, et aqua dilutus sedimentum copiosum album crystallinum demittat.

†734. Stibium oxydatum.

Antimonium oxydatum. Oxydum Stibii.

℞. **Stibii sulfurati nigri in pulverem triti** *libram unam,*
Acidi hydrochlorici conc. crudi *libras quatuor.*

Sub dio calefac in cucurbita, donec omnis gasis evolutio cessaverit, et solutionem filtratam evapora ad *libram unam c. dimid.*

Residuum sub continua agitatione effunde in vas, continens
Aquae fontanae *libras triginta,*
vel quantum sufficit, ut liquor supernatans addita nova aquae quantitate non amplius turbetur.

Liquore defuso praecipitatum tamdiu aqua eluatur, donec omnis reactio acida cessaverit.

Praecipitatum collectum deinde digere per bihorium cum:
Natri carbonici crystallisati *unciis duabus,*
soluti in
Aquae destillatae *s. q.*
ac tandem cum
Aqua destillata
perfecte elue. Praecipitatum in linteum collectum et expressum leni calore sicca.

Sit pulvis albus, ab Arsenico plane liber, in igne fortiore plane avolans, in acido hydrochlorico facile et ex toto solubilis.

†735. Stibium sulfuratum aurantiacum.

Sulfur auratum Antimonii. Oxydum Stibii hydrosulfuratum aurantiacum.

℞. **Natri carbonici crystallisati** *libras quatuor et dimid.*
in lebetem ferreum immissas solve in
Aquae fontanae fervidae *libris viginti.*
Tunc adde pultem paratam e
Calcariae causticae *libra una,*
Aquae fontanae *libris sex,*
et coque per horam dimidiam, deinde adde:
Sulfuris depurati *libram dimidiam,*
Stibii sulfurati nigri subtilissime pulverati *libram unam et dimid.*
et coque per horam, aquam evaporatam restituendo.

Lebes obtectus seponatur, donec sedimentum fundum petat, tum liquor limpidus syphone vitreo abstrahatur et evaporando in crystallos redigatur.

Crystalli opalescentes, e flavo albidae aqua abluantur. Deinde
Crystallorum *unciae decem*
solvantur in
Aquae destillatae *libris quinque,*
et seorsim paretur mixtura ex:
Acidi sulfurici concentrati puri *unciis tribus,*
et
Aquae destillatae *libris decem,*
quae frigefacta cum solutione crystallorum bene agitando misceatur.

Praecipitatum aurantiacum sedimentando et abluendo bene edulcoratum leni calore siccatum, in vitro luci impervio et bene clauso serva.

Sit pulvis subtilissimus, rubro-aurantiacus, valde depingens, insipidus, in Kali caustico omnino, et in acido hydrochlorico relicto Sulfure solubilis.

736. Stibium sulfuratum nigrum.

Antimonium crudum.

Praeparatum officinarum metallurgicarum in Rosenau Hungariae.

Sistit massas conico-truncatas, coloris nigro-grisei, e crystallis

acicularibus radiatim dispositis, metallice splendentibus, friabilibus constantes, in aëre immutabiles, in acido hydrochlorico perfecte solubiles, leni igne liquescentes.

Ne sit Arsenico inquinatum.

†737. Stibium sulfuratum rubrum.

Kermes minerale. Oxydulum Stibii hydrosulfuratum rubrum. Pulvis Carthusianorum.

℞. **Natri carbonici crystallisati** *libras duas*,
solve in lebete ferreo in
Aquae destillatae fervidae *libris viginti.*
Solutioni igni impositae admisce:
Stibii sulfurati nigri alcoholisati *unciam unam*,
coque per mediam horam saepius agitando, dein fervidus liquor filtretur per chartam emporeticam albam in vas aquam destillatam calefactam continens, ut sensim refrigescat. Praecipitatum ex inde ortum cum aqua destillata cocta et refrigerata ablue, inter chartam bibulam preme, in loco umbroso ac tepido sicca et in vase bene clauso luci impervio serva.

Sit pulvis subtilis, laevis, eleganter rubro-fuscus, microscopio aspectus velutini, inodorus, insipidus.

738. Stipites Dulcamarae.

Solani Dulcamarae Linn. *Solanaceae*, fruticis scandentis, in humidis passim crescentis, caules tenaces, calami scriptorii ad minimum crassitie, longitudinaliter rugosi, epidermide flavescenti-grisea, recentes odoris ingrati, siccatione fere inodori, saporis primum amari, deinde dulciusculi, cum aliqua acrimonia. Colligantur sero autumno et remotis omnibus partibus viridibus siccentur.

739. Strobili Lupuli.

Humuli Lupuli Linn. suffruticis dioici scandentis e *Cannabinearum* ordine, apud nos sponte crescentis et culti amenta fructifera, subrotunda, composita e squamis membranaceis laxe imbricatis, venoso-

nervosis, basi extus glandulis pallide aurantiacis, farinosis, deciduis (Lupulina) consitis, intus excavatis, nuculas monospermas foventibus. Odor, imprimis recentium, aromaticus, gravis, sapor amarus.

Strobili excussis glandulis farinosis nihil valent.

† 740. **Strychninum.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystallos sistit prismaticas, inodoras, amarissimas, in aqua frigida et fervida vix, in acidis facile solubiles, salia exhibentes saporis amarissimi. Strychninum ipsum in spiritu vini rectificato, vix autem in spiritu vini rectificatissimo aut in Aethere solvitur. Brucino inquinatum, cum acido nitrico concentrato calefactum, colorem rubrum induit.

† 741. **Strychninum nitricum.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli aciculares, sericeae, coloris et odoris expertes, saporis amarissimi, in aqua fervida facile, in spiritu vini difficulter, in Aethere minime solubiles.

742. **Styrax Calamita.**

Storax solidus.

Massa artefacta ex Oriente advecta, variae magnitudinis, rubro-fusca, friabilis ex ligni scobe cum Styrace liquido aliisve resinis balsamicis impraegnata, odoris fortis, balsamici styracini.

743. **Styrax liquidus.**

Storax liquidus.

Balsamum e cortice trunci *Styracis officinalis* Linn. *Styraceae* obtentum; Terebinthinae consistentia, opacum, obscure cinereum, vel cinerascenti-fuscum vel nigricans, odoris grate balsamici, styracini, saporis fervide aromatici.

744. Succinum.

Resina fossilis arborum primaevarum generis Pini, praeprimis *Pinitis succiniferi* Goepp. *Coniferae*, carboni candenti injceta odorem spargit proprium, grate aromaticum, destillatione sieca sublimatum aeidi succinici et oleum Succini praebens.

745. Succus Liquiritiae.

Extractum venale, e radice recenti *Glycyrrhizae glabrae* Linn. in Europa australi coctione atque evaporatione paratum, prostat in baeulis eylindrieis fusco-nigris, flexione eita fragilibus, in fraetura nitentibus, odoris proprii, dulciuseuli, saporis dulcis, irritantis.

Sueeus Liquiritiae venalis substantiis heterogeneis, imo noeivis, imprimis Cupro inquinatus esse solet, ideo ante usum semper a pharmacopola purgandus est. (Vide Extr. Liquir. siccum.)

746. Sulfur citrinum.
Sulfur venale.

Ne sit Arsenico sulfurato inquinatum.

747. Sulfur praecipitatum.
Lac Sulfuris. Magisterium Sulfuris.

℞. **Calcariae causticae** *libram unam,*
in lebete ferreo eum
Aquae communis *libris sex*
in massam pultiformem redaetae adde:
Sulfuris citrini pulv. *libras duas,*
Aquae communis *libras viginti quatuor.*

Mixta sub eontinua agitatione et aquam evaporatam restituendo eoquantur per horam, dein filtrentur.

Residuum eoque eum
Aquae communis *libris quindecim*
per dimidiam horam et cola.

Residuum eum aqua fervida bene ablue. Liquores obtentos sepone per aliquot dies in lagenis bene obturatis.

Limpidum abstrahe et cum aqua communi dilue, ut sit ponderis *librarum quadraginta.*

Tum adde miscelam ex

Acidi hydrochlorici conc. puri *libris tribus*

et

Aquae communis *libris sex.*

Praecipitatum inde natum collige et cum aqua communi bene ablue, tum in miscelam ex

Acidi hydrochlorici conc. puri *unciis quatuor*

et

Aquae communis *libris quatuor*

injice. Stet per aliquot dies interdum agitando. Praecipitatum ortum cum aqua communi bene lotum in loco tepido sicca et in pulverem subtilissimum redactum serva in vitro bene clauso.

Sit pulvis griseo-aut flavescenti-albus, subtilissimus, in aqua insolubilis, igne penitus avolans.

748. Sulfur sublimatum crudum.

Flores Sulfuris venales.

Pulvis citrinus, subtilissimus, Sulfuris crudi sublimatione in officinis propriis obtentus, acido sulfurico adhaerente acidulus.

Ne sit Arsenico inquinatum.

749. Sulfur sublimatum lotum.

Sulfur depuratum. Flores Sulfuris loti.

℞. **Sulfuris sublimati crudi** *q. v.*

Elue cum

Aqua destillata

tamdiu, donec ab acido sulfurico adhaerente perfecte sit mundatum, denique collige in manica lintea vel in linteo expanso et in prelo fortiter exprime, optime sicca, per cribrum trajice, et in vase bene obturato serva.

Sit pulvis subtilis, siccissimus, acidi plane expers.

750. Suppositoria e butyro Cacao.

℞. **Butyri Cacao** *q. v.*
Formentur lege artis suppositoria.

751. Syrupus Acetositatis Citri.
Syrupus Citri.

℞. **Succi fructuum Citri recentium expressi sedimentatione et filtratione depurati** *uncias decem,*
Sacchari albi *uncias sedecim.*
Unica ebullitione coque in syrupum.

752. Syrupus Althaeae.

℞. **Radicis Althaeae concisae** *unciam unam,*
Aquae communis frigidae *uncias octodecim.*
Macera per bihorium, saepius agitando, tunc cola sine expressione et in colatura *unciarum quindecim*
solve:
Sacchari albi *libras duas*
unica ebullitione.

753. Syrupus amygdalinus.
Syrupus emulsivus.

℞. **Amygdalarum dulcium decorticatarum** *uncias duas,*
Amygdalarum amararum decorticatarum *unciam dimidiam.*
In mortarium aheneum altum immissas cum
Sacchari albi pulverati *unciis tribus*
contunde in pultem aequabilem, tum sensim inter assiduam triturationem admisce:
Aquae communis *uncias quinque,*
ut fiat emulsio concentratissima.
Colaturae per pannum laneum expressae adde:
Sacchari albi pulverati *uncias quinque,*
et sub continua agitatione fiat syrupus.

754. **Syrupus Aurantiorum corticum.**

℞. **Flavedinis corticum Aurantiorum** *uncias tres,*
Spiritus vini rectificati diluti *uncias tres,*
Aquae communis *libras duas.*
Digere per nycthemerum in vase clauso.
Colatura expressa *unciarum viginti*
cum
Sacchari albi *libris tribus*
unica ebullitione coquatur in syrupum, cui refrigerato admisce:
Tincturae Aurantiorum corticum *uncias tres.*

755. **Syrupus Capillorum Veneris.**

℞. **Herbae Adianti concisae** *unciam unam et dimidiam,*
Aquae communis fervidae *libram unam et dimidiam,*
infunde per horam.
Colaturam *unciarum quindecim*
coque cum
Sacchari albi *libris duabus,*
clarificando in syrupum, cui admisce:
Aquae florum Aurantii *drachmas duas.*

756. **Syrupus Chamomillae.**

℞. **Florum Chamomillae** *uncias duas,*
Aquae communis fervidae *uncias sedecim.*
Infunde per horam, et in colatura expressa solve:
Sacchari albi *uncias sedecim.*
Clarificatione fiat syrupus.

757. **Syrupus Cichorei cum Rheo.**

℞. **Foliorum Cichorei**
Radicis Cichorei *āā unciam unam,*
„ Rhei *uncias quatuor,*
Kali carbonici puri *drachmam dimidiam,*
Aquae communis fervidae *libras quinque.*

Stent in infusione per horam.
Colaturae fortiter expressae *librarum quatuor*
adde
Sacchari albi *libras sex.*
Clarificando coque in syrupum.

758. Syrupus Cinnamomi.

℞. **Corticis Cassiae Cinnamomeae ruditer tusi** *uncias quinque.*
Aquae Cinnamomi spirituosae *libras duas,*
digere in vase clauso per viginti quatuor horas et in colatura expressa *unciarum viginti*
solve:
Sacchari albi *uncias triginta et duas.*
Unica ebullitione coque in syrupum.

†759. Syrupus Diacodii.
Syrupus Papaveris albi.

℞. **Capitum Papaveris contusorum** *uncias duas,*
Radicis Liquiritiae *unciam unam,*
Aquae communis fervidae *libram unam et dimid.*
Stent per duas horas; in colatura solve:
Sacchari albi *uncias sedecim,*
clarificando coque in syrupum.

760. Syrupus Ferri jodati.

℞. **Jodi** *drachmas tres,*
Ferri pulverati *drachmam unam,*
Aquae destillatae *unciam unam.*
Immitte in lagenam vitream satis capacem et continua agitatione solve.
Solutionem dilute viridem filtra et filtrum elue cum
Aquae destillatae *uncia dimidia.*

Liquori filtrato adde:

Sacchari albi *uncias duas,*

et solve leni calore. Pondus syrupi sit *drachmarum triginta.*

Syrupi drachma una continet septem grana circiter Ferri jodati.

Ex tempore parandus.

761. Syrupus Foeniculi.

℞. **Seminum Foeniculi contusorum** *uncias duas,*

Aquae fervidae *libram unam.*

Infunde per horam.

Colaturae *unciarum octo*

adde

Sacchari albi *libram unam.*

Solve et clarificando coque in syrupum.

762. Syrupus kermesinus.

℞. **Pulveris Coccionellae** *unciam dimidiam,*

Kali carbonici puri *grana duodecim,*

Aquae Cinnamomi simplicis

„ **Melissae**

„ **Rosarum** *āā uncias sex.*

Macera per horam. Colatura cum

Sacchari albi *libris duabus,*

addendo sub unica ebullitione

Aluminis crudi pulverati *grana quatuor,*

coquatur in syrupum.

763. Syrupus mannatus.

Syrupus Sennae cum Manna.

℞. **Foliorum Sennae Alexandrinae** *uncias quatuor,*

Fructuum Anisi stellati *drachmas duas,*

Aquae communis fervidae *libras quatuor.*

Infunde per bihorium et in liquore expresso et colato solve:

Sacchari albi *libras quatuor,*

Mannae cannelatae *libram unam.*

Clarificando coque in syrupum.

764. Syrupus Menthae.

℞. **Foliorum Menthae crispae** *uncias duas.*
Infunde per horam cum
Aquae communis fervidae *unciis sedecim.*
Colatura *unciarum decem,*
cum
Sacchari albi *unciis sedecim.*
clarificando coquatur in syrupum.

765. Syrupus Mororum.

℞. **Baccarum Mori** *libras quindecim,*
conquassatis adde
Sacchari albi *libram unam.*
Stent per aliquot dies, donec fermentatio vinosa peracta sit, deinde exprime per sacculum linteum, et
Succi subsidendo depurati *uncias decem*
coque cum
Sacchari albi *unciis sedecim*
unica ebullitione in syrupum.

766. Syrupus Papaveris Rhoeados.
Syrupus Rhoeados.

℞. **Florum Papaveris Rhoeados recentium** *libram unam,*
Aquae communis fervidae *libras duas.*
Stent per duas horas.
Colaturam *unciarum viginti,*
cum
Sacchari albi *libris tribus,*
unica ebullitione coque in syrupum.

767. Syrupus Phytolaccae.

Cum baccis Phytolaccae conquassatis paretur ut syrupus Mororum.

768. Syrupus Pomorum acidulorum.

Cum Pomis acidulis conquassatis paretur ut syrupus Mororum.

769. Syrupus Ribium.

Cum baccis Ribis conquassatis paretur ut syrupus Mororum.

770. Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e baccis Rubi Idaei ut syrupus Mororum.

771. Syrupus Sambuci.

Cum baccis Sambuci conquassatis paretur ut syrupus Mororum

772. Syrupus Scillae.

℞. **Aceti Scillae**	*uncias decem,*
Sacchari albi	*uncias sedecim.*

Coquantur in syrupum.

773. Syrupus simplex.
Syrupus Sacchari.

℞. **Sacchari albi**	*libras duas,*
Aquae communis	*uncias quindecim.*

Coquendo fiat syrupus.

774. Syrupus Violarum.

℞. **Florum Violarum recentium** *libram unam.*
Infunde in vase stanneo per duodecim horas cum
Aquae destillatae fervidae *libris duabus.*
In colatura expressa solve in lebete stanneo blandissimo calore
Sacchari albissimi *libras tres et dimid.*
Post refrigerationem in vase vitreo serva.

775. Tabulae de Althaea.

℞. Pulveris radicis Althaeae	*unciam unam et semis,*
„ radicis Ireos florentinae	*drachmas duas.*
„ Sacchari albi	*libram unam,*
Mucilaginis Tragacanthae	*q. s.*

ut fiat pasta, quae bene subacta et depsta extendatur in laminam tenuem, quae in tabulas scissa siccetur.

†776. Taffetas vesicans.

℞. Pulveris Cantharidum	*unciam unam et dimid.*
Aetheris	*uncias quatuor.*
Digere per triduum, exprime et in	
colaturae	*unaquaque uncia*
solve:	
Mastiches	*drachmam dimidiam,*
Sandaracae	*scrupulos quatuor,*
Terebinthinae Venetae	*scrupulum unum,*
Olei Lavandulae	*guttas decem.*

Ope penicilli illinatur taffetas 30 pollices longa et 20 pollices lata, et haec operatio repetatur usque ad perfectam tincturae consumtionem.

777. Terebinthina cocta.
Resina Pini.

Resina subflava, friabilis, odoris debilis, e destillatione olei Terebinthinae residua.

778. Terebinthina communis.

Balsamum naturale, e truncis vulneratis *Pini sylvestris* Linn. et aliarum specierum, arborum *Coniferarum,* effluens, spissum, granulosum, albidum vel ochroleucum, odoris proprii, vehementis, saporis irritantis, amariusculi.

779. Terebinthina Veneta.
Terebinthina larigna.

Balsamum e vulnerato trunco *Pini Laricis* Linn. arboris *Coniferae* effluens, subflavum, pellucidum, odoris amoenius terebinthinacei citreique, saporis balsamico-amari.

780. Tinctura Absinthii composita.

℞. **Herbae Absinthii**	*uncias tres,*
Flavedinis corticum Aurantiorum	*unciam unam,*
Radicis Calami aromatici	
„ **Gentianae**	*āā unciam dimidiam,*
Corticis Cassiae Cinnamomeae	*drachmas duas.*

Concisis et contusis affunde:

Spiritus vini rectificati diluti	*libras tres.*

Digere saepius conquassando per dies sex, et tincturam refrigeratam exprime et filtra.

†781. Tinctura Aloës.

℞. **Aloës lucidae contusae**	*uncias duas,*
Spiritus vini rectificati diluti	*libram unam.*

Digere per aliquot dies saepius agitando, ut Aloë solvatur.

Servetur tinctura filtrata *unciarum tredecim.*

782. Tinctura amara.
Tinctura stomachica.

℞. **Foliorum Trifolii fibrini**	
Herbae Centaurii min. florid.	
Radicis Gentianae	
Flavedinis corticum Aurantiorum	*āā unciam unam,*
Natri carbonici depurati	*unciam semis,*
Aquae Cinnamomi spirituosae	*libras quatuor et dimidiam.*

Digere per triduum, ut tinctura expressa et filtrata sit *librarum quatuor.*

783. Tinctura Arnicae florum.

℞. **Florum Arnicae concisorum**	*unciam unam et dimidiam,*
Spiritus vini rectificati diluti	*libram unam.*

Digere per aliquot dies, exprime et filtra, ut sit colatura *unciarum decem.*

784. **Tinctura Arnicae plantae totius.**

Tinctura Arnicae.

℞. **Herbae Arnicae floridae cum radice recentis concisae** *uncias sex,*

infunde cum

Spiritus vini rectificatissimi *libra una.*

Stet in vase vitreo bene clauso per triduum. Exprime et filtra.

785. **Tinctura aromatica.**

℞. **Radicis Calami aromatici**

„ **Galangae** *āā unciam unam,*

Corticum Cassiae Cinnamomeae

Caryophyllorum

Nucis Moschatae *āā drachmas tres,*

Spiritus vini rectificati *libras duas.*

Digere per octiduum, ut liquor expressus et filtratus sit ponderis *unciarum viginti et unius.*

786. **Tinctura aromatico-acida.**

Elixirium Vitrioli Mynsichti.

℞. **Radicis Calami aromatici**

„ **Galangae** *āā unciam unam,*

„ **Zingiberis**

Corticum Cassiae Cinnamomeae

Caryophyllorum

Nucis Moschatae *āā drachmas tres,*

Flavedinis corticum Citri *unciam semis,*

Sacchari albi

Acidi sulfurici diluti *āā uncias tres,*

Spirit. vini rectif. diluti *libras duas.*

Digere per sex dies. Liquor expressus et filtratus sit ponderis *unciarum viginti septem.*

787. Tinctura Asae foetidae.

℞. Asae foetidae pulveratae *uncias duas,*
Spiritus vini rectificati *libram unam.*
Digere per tres dies, ut tinctura filtrata sit
unciarum decem.

788. Tinctura Aurantiorum corticum.

℞. Flavedinis corticum Aurantiorum
concisae *uncias duas,*
Spiritus vini rectificati diluti *libram unam.*
Digere per triduum. Tinctura expressa et filtrata sit
unciarum decem.

789. Tinctura balsamica.
Balsamum vulnerarium Commendatoris.

℞. Aloës
Myrrhae
Olibani *āā unciam semis,*
Styracis liquidi *unciam unam,*
Croci gallici *drachmas duas,*
Balsami peruviani *unciam unam,*
Spiritus vini rectificati *libras tres.*
Digere per sex dies, ut tinctura filtrata sit
unciarum triginta trium.

†790. Tinctura Belladonnae.

Paretur ex herba Belladonnae florida siccata ut tinctura Aurantiorum corticum.

791. Tinctura Benzoës.

℞. Benzoës *uncias duas,*
Spiritus vini rectificati *libras duas.*
Digere ad perfectam solutionem.
Tinctura filtrata sit *librarum duarum.*

†792. Tinctura Cantharidum.

℞. **Cantharidum pulveratarum** *unciam unam,*
Spiritus vini rectificati diluti *uncias sex.*
Digere per triduum. Tinctura filtrata sit *unciarum quinque.*

793. Tinctura Capsici.

℞. **Fructuum Capsici pulveratorum** *unciam unam,*
Spiritus vini rectificatissimi *uncias sex.*
Digere temperatura ordinaria quotidie agitando per triduum, dein expressam et subsidendo clarificatam decanta ac more solito serva.

794. Tinctura Castorei.

℞. **Castorei** *unciam unam,*
contuso et minutim conciso affunde:
Spiritus vini rectificati *uncias sex.*
Digere per octiduum, saepius agitando.
Tinctura expressa et filtrata sit *unciarum quinque.*

795. Tinctura Catechu.

℞. **Catechu ruditer contusi** *uncias tres,*
Spiritus vini rectificati diluti *libram unam.*
Digere ad perfectam extractionem et filtratam serva.

796. Tinctura Chamomillae.

E floribus Chamomillae vulgaris paretur ut tinctura Aurantiorum corticum.

797. Tinctura Chinae composita.
Elixirium roborans Whytii.

℞. **Corticis Chinae fuscae pulverat.** *uncias tres,*
Radicis Gentianae
Flavedinis corticum Aurantiorum *āā unciam unam,*

Spiritus vini rectificati *libram unam et semis,*
Aquae Cinnamomi *libram semis.*
Digere per sex dies, exprime et filtra, ut sit colatura *unciarum viginti.*

798. Tinctura Chinae simplex.

℞. **Corticis Chinae flavae pulverati** *uncias duas,*
Spiritus vini rectificati diluti *libram unam.*
Digere per octiduum, saepius conquassando, exprime et filtra.

799. Tinctura Cinnamomi.

E cortice Cassiae Cinnamomeae paretur ut tinctura Aurantiorum corticum.

†800. Tinctura Colchici seminum.

℞. **Seminum Colchici contusorum** *unciam dimidiam,*
Spiritus vini rectificati diluti *uncias sex.*
Digere per triduum, dein filtra, ut sit colatura *unciarum quinque.*

†801. Tinctura Colocynthidum.

E fructibus Colocynthidis, a seminibus mundatis, paretur ut tinctura Aurantiorum corticum.

802. Tinctura Croci.

Paretur e Croco gallico ut tinctura Aurantiorum corticum.

†803. Tinctura Digitalis purpureae.

E foliis Digitalis purpureae paretur ut tinctura Aurantiorum corticum.

†804. Tinctura Euphorbii.

Ex Euphorbio paretur ut tinctura Asae foetidae.

805. **Tinctura Ferri acetici aetherea.**

℞. **Ferri oxydati acetici liquidi** *uncias novem,*
Spiritus vini rectificatissimi *uncias duas,*
Aetheris acetici *unciam unam.*
Misce.

806. **Tinctura Ferri pomati.**
Tinctura Malatis Ferri.

℞. **Extracti Ferri pomati** *uncias duas,*
Aquae Cinnamomi vinosae *libram unam.*
Solve et filtra.

807. **Tinctura Guajaci.**

E Guajaco ut tinctura Asae foetidae ad pondus *unciarum tredecim.*

†808. **Tinctura Ipecacuanhae.**

E radice Ipecacuanhae ruditer tusa paretur ut tinctura Aurantiorum corticum.

†809. **Tinctura Jodi.**

℞. **Jodi** *drachmam unam,*
Spiritus vini rectificati *uncias duas,*
solve terendo in mortario vitreo.

Liquorem limpidum defusum serva in lagena vitrea bene clausa.

810. **Tinctura Lignorum.**

℞. **Ligni Guajaci**
„ **Sassafras**
„ **Santali rubri**
„ **Juniperi** *āā unciam unam et dimid.*
